BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXVIII
A
59
NAPOLI

XXXVIII
A
59
~~47~~

~~3~~8

~~[illegible]~~21.

FLORES, ET SENTENTIÆ SCRIBENDIQVE FORMVLAE ILLVSTRIORES

GABRIEL PRATEOLVS MARCOSSIVS.

PARISIIS,

Excudebat Dionyſius Vallenſis, impenſis honeſti viri Ægidij Beys, Bibliopolæ Iurati. Anno domini 1577.

NAZIONALE "VITTORIO
NAPOLI


CASTA PLACENT SUPERIS

ELOQVENTISSIMO ATQVE GRAVISSIMO VIRO, DOMINO Dionyſio Riſerio, ſupremi Senatus Pariſienſis Præſidi, Gabriel Prateolus Marcoſſius.

S. P. D.

Qvemadmodũ qui pila ludunt, inquit, princeps ille in ratione dicendi Marcus Tullius primo de Oratore, etiam ſi non vtuntur in ipſa luſione artificio proprio paleſtræ, ſed indicat ipſe motus didicerint ne paleſtram, an neſciant: & qui aliquid fingunt, etſi tum pictura nihil vtuntur, tamen vtrum ſciant pingere, an neſciant, non obſcurum eſt: ſic in conſcribendis epiſtolis, facilè dignoſcitur, vtrum is qui ſcribit, certis aut præceptionibus, aut bonorum autorum exemplis & paradigmatibus, ad quæ ſua metiatur ſcripta, & quæ ſequatur inſtitutus ſit, an non. Quandoquidem videre licet quamplurimos, qui eiſdem præceptionibus aut contemptis, aut ignoratis, facultate denique & obſeruatione cùm ſtyli, tum argumenti & inuentionis, à puræ eloquentiæ autoribus tractari ſolitæ neglecta, indéque adeò & rectè, & certè ſcribendi viam ignorantes, quocunque ſuorum affectuum, & naturæ quantumuis imperitæ, rudis, & incultæ, tempeſtas impellit, rapiantur. Nihil in cudendis epiſtolis felicis illius promptitudinis, & elegantiæ ſibi comparent. Vbique pro ſuo ipſorum ingenio & arbitratu errent, vbique fluctuent. Nul-

los exordiorum fontes, nullam narrationis lucem, nullam ſolidorum argumentorum oiconomiam, nullam denique epilogi rationem, aut verborum atque ſententiarum idoneam collocationem vel perpendant, vel in promptu habeant. Quod ideo fit, quòd vel ſupina quadam euoluendorum bonorum autorum negligentia, vel eorum contemptu, vel ſua ipſorum mentis hebetudine, ruditate, inconſiderantia, ac temeritate, in exotica, incultaque barbarie conſeneſcere malunt, quàm ex doctiorum numero ſibi aliquos proponere, quos æmulentur. Quum contrà, docto illo Patricio Senenſi autore, crebræ lectionis ſaluberrimus fructus ſit, æmulari meliora: Et quæ in aliis te doctoribus maximè probes, quæue inter optimi cuiuſque, & elegantiſſimi dicta mireris, in aliquem vſum cum venuſtate conuertere. Nam vt artis pingendi ſtudioſus, nunquam pingere optimè diſcet, aut callebit, niſi certas illius artis regulas, certáque exempla, ab inſtitutore quopiam acceperit, & ab eo fieri viderit quæ in mente verſet, meditetur, ac ſedulò tractet: & ſicut medico diligenti (ait idem Tullius, ſecundo de Oratore) prius quàm conetur ægro adhibere medicinam, non ſolùm morbi, cui mederi volet, ſed etiam conſuetudo valentis, & natura corporis cognoſcenda eſt: & vt in cauſſa non vtimur ſemper eodem ſtatu, ſed ad tempus, ad controuerſiæ naturam, ad perſonam accommodamus: ita ſcribendarum epiſtolarum cupidus quiſque & rectè, & ſolidè, & purè ſcribet nunquam, niſi ab artis docendæ peritis, certis obſeruationibus, & exemplis ad doctè ſcribendum ſpectantibus, inſtituatur. Niſi omni mente in ea cogitatione curáque verſari edoctus fuerit, vt odorari quàm ſagaciſſime poſſit, quid quibus ſcribat ſentiant, quid exiſtiment, quid expectent, quid velint, quo orationis & epiſtolarum genere in ſuam ſententiam deduci facillimè poſſe videantur. Quibus denique ex rebus & locis epiſtolæ diſpoſitio,

tio, exordium, propoſitio, certa narrandi quod velis ratio profluat : quibus argumentis id quod tractatur confirmari, aut infirmari poſsit : vbi aliquando à themate digreſsio fieri debeat . & quæ demum ſit epilogi ratio. A quibus quum plurimos, variarum etiam artium titulos ſibi arrogantes, aberrare, à nullo porrò inſtitutore probiore, certioréque magiſtro peti, quàm ab ipſo eloquentiæ parente poſſe conſpicerem: quum anno ſuperiore, ad eorum, qui in ſacram Theologiam incumbunt, ſubleuandum laborem, omnes Apoſtolicas epiſtolas, ſub generalibus præcipuarum rerum ad eam ipſam Theologiam ſpectantium capitibus, in locos communes, tanquam in certas claſſes digeſiſſem: his diebus inter reſpirandum à ſeriis & grauioribus ſtudiis, idem præſtare ſtudium in perluſtrandis Ciceronis epiſtolis, indéque colligendis ex præcipuis præcipuas, argutioréſque ſententias, & ſcribendi formulas, quæ ſparſim, ac fuſim in illis habentur, non abnui. Quas, & quantum à me fieri potuit commodè, aptè, & diligenter in locos communes, & certarum materiarum capita, velut in vnum corpus plurima membra paſsim diſſecta, compage quadam ſubiectæ materiei coagmentaui, pro vt varium literas ſcribere volentium, vel ſenſibus externis, vel commentationibus internis offerri putarem argumentum. Non alia ſanè ratione ad id adductus, quàm vt via ſterneretur facilior, & promptior eſſet ſcripturientibus inuentio: haberet in promptu quiſque, vnde tanquam ex promptuario quodam inſtructiſſimo, hauriret largum formandis cuiuſcunque generis epiſtolis commeatum: exempla denique ad imitandum quàm plurima, atque rerum ferè omnium, quibus confici ſolent epiſtolæ, argumenta affatim illis ſuppeditarentur. Nempe qui in ea ſemper fuerim ſententia, vt expeditius eſſe cenſerem, res diuerſi generis, in ſuum quaſque ordinem & locum diſpoſitas, ceu fines quaſdam & regu-

las, quas imitari poſſet quiſque, quàm in turbam temerè congeſtas inueſtigare, ſi quando opus habemus vtendum.

Sed cùm, eodem Tullio in Partitionibus Oratoriis dicente, omnis oratio ſententiis, quàm verbis debeat eſſe ornatior, ſitque elaborandum non minus vt ſententiarum grauitate, quàm luce verborum, illa commendetur: habeant denique (vt tertio de Finibus idem teſtatur) id-circo eadem cura & ſtudio, illuſtriores, clarioréſque ſententias, quæ in quolibet earundam epiſtolarum genere poſſe accommodari videbantur, ex eiuſdem Ciceronis libris, qui in vulgatiori, tritioríque vſu habentur, ac circunferuntur, non alienum duxi horis ſuccisiuis ſeligere, illáſque hic adiungere. Quò nimirum haberet quiſque epiſtolas ſcripturus, vnde præclaris ſententiis, perinde ac ſplendidis luminibus, ſuam illuſtraret orationem, atque velut firmiſsimis neruis compingeret: ſibi denique illum hinc imitandum vndecunque proponeret, cui omnes ob eruditionis & eloquentiæ, virtutiſque opinionem, primas partes deferunt. Dici enim non poteſt, quàm ardenti deſiderio ad imitandum accendamur, ſi quando videamus illud probari, quod effingere conamur. Id porrò quantulumcunque eſt editionis, meo quidem ornatu, labore, & induſtria tenuis, at magnæ & excellentis Ciceronis nomine, cùm abſoluiſſem, vt ſub tuæ præſtantiſſimæ humanitatis veluti præſidio quodam in vulgum prodire ſinerem, tuóque illuſtriſſimo nomine ac dignitati nuncuparem, me tres impulerunt cauſſæ. Vna, quòd quæ ex Oratorum omnium eloquentiſſimo eſſent profecta, cenſerem alteri dicanda non eſſe, niſi is, cui dicarentur, talis eſſet, qui illum & ſcientia, & eloquentia referret. Etenim ſi vllo genere officiorum celebrandus venis (vt venis) non occurrit, qua id facultate fieri debeat magis, quàm vt iiſdem rebus oneris, quarum auxilio tu tanto euectus es magiſtratu, tantóſque dignitatum gradus aſſequutus,

aſſequutus, vt te ſuum patronum, alumnum & præſidem non illæ ſolùm, ſed & optimi quique, & literarum ſtudioſiſſimi meritò appellent, & profiteantur. Vt eam interim taceam, qua excultus es, ſingularem omnium artium eruditionem, & erga bonas literas, literatóſque animi propenſionem, peracre ingenium, admirabilem quandam, expromptámque memoriam, probitatem, prudentiam, humanitatem, in iudicio ferendo æquitatem, atque reliquas animi tui dotes, quibus ad hoc opuſculum tibi nuncupandum extimulatus ſum. Altera, quòd his diebus Pictauio reuerſus, nolem me tuo honorificentiſſimo conſpectui offerre, niſi aliquo meorum laborum munuſculo, quo te, vt doctiſſimos ac probiſſimos quoſque inuiſens facere ſoleo, impartirer, munitus eſſem. Certò ſciens te, pro ſumma illa tibi ingenita humanitate & beneuolentia, non aliter dedicationem hanc amplexurum (quanuis ſplendorem, & ornamentum tui nominis amplius eſſe non ſcim neſcius, quàm vt huius tenuis & exilis opuſculi anguſtiis comprehendi poſſit) quàm eruditiſſimus ille, atque grauiſſimus tuus ex parte veſtrarum vtriuſque vxorum frater, & in ſuprema Senatus Pariſienſis curia primus Præſes dominus Egidius Magiſter, meum, quem de noſtrorum temporum calamitate librum duobus ab hinc annis edidi, & nondum typis excuſſum illi & obtuli, & ſuo nomini dicaui, æqui boníque conſuluit, gratóque ſuſcepit animo. Tertia, quòd nato illi tuo Egidio Riſerio, cuius prima ætas manifeſtum iter ad ingenij & probæ indolis lumen oſtendit, non inutilis fore libellus videretur: nimirum ex quo ille, tanquam ex fonte quodam limpidiſſimo, omnium argumentorum genera, quibus confici ſolent epiſtolæ, & quibus iam inde à pueritia imbui debent iuuenes, affatim haurire in promptu poſſet, & haberet. In reliquo, tuum erit, vir præclariſſime, illum de me ea voluntate ſuſcipere, qua ſoles cætera,

quæ ad politiorum literarum cultum ſpectant, & quã mente eum tibi & deuoueo, & conſecro: aliud aliàs grauius daturus, ſi modò hæc Ciceronis collectanea grata tibi eſſe ſenſero. Vale, & me tui obſeruantiſſimum ama. Lutetiæ Pariſiorum, calendis Februarij,

1556.

FLORES, ET SENTENTIÆ,

SCRIBENDIQVE FORMVLAE

illuſtriores, ex Marci Tullij Ciceronis Epiſtolis familiaribus ſelectæ: & in cōmunes locos, ad cuiuſcunque generis concinnandas epiſtolas, quàm accōmodatiſſimos coagmentatæ, & certo ordine digeſtæ.

SENTENTIÆ, SIVE POTIVS SCRI*bendi formulæ, quibus vti conſueuimus, quum gratulatorias literas ad amicum vel damus, vel ab eo recipimus. Caput I.*

Ex primo libro.

LEGI tuas literas: quibus ad me ſcribis, gratū tibi eſſe, quòd crebrò certior per me fias de omnibus rebus, & meā erga te beneuolentiā facilè perſpicias. Quorū alterū mihi, vt te plurimùm diligam, facere neceſſe eſt, ſi volo is eſſe, quē tu me eſſe voluiſti. Alterum facio libēter: vt quoniam nteru allo locorum, & temporum diſiuncti ſumus, per literas tecū quàm ſæpiſſimè colloquar. Quod ſi arius fiet, quàm tu expectabis, id erit cauſſæ, quòd ō eius generis meæ literæ ſunt, vt eas audeā temerè ōmittere. Quoties mihi certorum hominū poteſtas rit, quibus rectè dem, non prætermittam. Epiſt. 7.

De omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid cer-

tum, quid conſtitutum ſit, quid Pompeius ſuſceperit, optimè ex Emplatorio cognoſces, qui non ſolùm interfuit his rebus, ſed etiam præfuit: neque vllum officium erga te hominis amantiſſimi, prudentiſſimi, diligentiſſimi prætermiſit. Ex eodem de toto ſtatu rerum communium cognoſces: quæ quales ſint, non facile eſt ſcribere. Epiſt. 8.

Periucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi, te perſpicere meam in te pietaẽ. Quid enim dicam beneuolentiam, cùm illud ipſum grauiſſimũ, & ſanctiſſimum nomen pietatis, leuius mihi meritis erga me tuis eſſe videatur? Quòd autem tibi grata mea ſtudia erga te ſcribis eſſe, facis tu quidem abundantia quadam amoris: vt etiam grata ſint ea, quæ prætermitti ſine nefario ſcelere nõ poſſunt. Tibi autem multò notior, atque illuſtrior meus in te animus eſſet, ſi hoc tẽpore omni, quo ſeiuncti fuimus, & vnà, & Romæ fuiſſemus. Epiſt. 9.

De qua ratione tota iam videtur mihi exponẽdi tẽpus dari, vt tibi reſcribã ad ea quæ quæris. Epi. eadẽ.

Quæ ad me de tuis rebus domeſticis ſcribis, quæq; mihi commendas, ea tantæ mihi curæ ſunt, vt me nolim admoneri: rogari verò ſine magno dolore vix poſſum. Epiſt. 10.

Ex libro ſecundo.

Quamquam me nomine negligentiæ ſuſpectum tibi eſſe doleo, tamen non tam mihi moleſtum fuit accuſari abs te officium meum, quam iucundum requiri: præſertim cùm in quo accuſabar, culpa vacarem. In quo autem deſiderare ſignificabas meas literas, præ te fers perſpectum quidem mihi, ſed tamen dulcem, & optatum amorem tuum. Equidem neminem prætermiſi, quem quidem ad te peruenturũ putarẽ, cui literas non dederim. Etenim quis eſt tam

in

in ſcribendo impiger, quàm ego? A te verò bis, térue ad ſummum, & eas per breues literas accepi. Quare, ſi iniquus es in me iudex, cõdemnabo eodem ego te crimine: ſin me id facere noles, te mihi æquũ præbere debebis. Sed de literis hactenus. Non enim vereor, ne non ſcribendo te expleam: præſertim ſi in eo genere ſtudium meum non aſpernabere. Epiſt. 1.

Sed hæc ipſa, neſcio rectè ne ſint literis cõmiſſa: quare cætera cognoſces ex aliis. Epiſt. 4.

Scribent alij: multi nunciabunt: perferet multa etiam ipſe rumor. Quare ego nec præterita, nec præſentia abs te, ſed vt ab homine longè in poſterũ proſpiciente, futura expecto, vt ex tuis literis, cùm formam Reipub. viderim, quale ædificium futurum ſit, ſcire poſſim. Neque tamen adhuc habeo, quod te accuſem. Neque enim fuit quod tu plus prouidere poſſes, quàm quiuis noſtrum. Epiſt. 7.

Sed hæc pluribus, multáque alia & de te, & ad te, cùm primùm ero aliquid otij nactus. Epiſt. 8.

Accepi auté à te miſſas literas in Cicilia, cùm eſſem in caſtris ad decimũ calend. Quintiles, ſcriptas humaniſſimè: quibus facilè officiũ, & ingeniũ tuum perſpici poſſet: ſed neque vnde, neque quo die datæ eſſent, aut quo tempore te expectarem, ſignificabãt. nec is, qui attulerat, à te acceperat, vt ex eo ſciré, quo ex loco, atque tempore eſſent datæ. Epiſt. vltima.

Sed tuæ literæ de tua præſertim dignitate, & de noſtra coniunctione, maximi ſunt apud me ponderis. Mihi Quæſtor optatior obtingere nemo potuit. Epiſt. eadem.

Ex libro tertio.

Pluribus verbis ad te ſcriberem, ſi aut tua humanitas longiorem orationem expectaret: aut id fieri noſtra amicitia pateretur: aut res verba deſideraret,

ac non pro ſe ipſa loqueretur. Epiſt.2.

Quod ſcribis manendi tibi cauſſam eam fuiſſe,vt me cõuenires,id mihi,ne mẽtiar,gratũ eſt. Epi.4.

Tralleis veni ad tertium decimum calẽdas Sextiles. Ibi mihi præſto fuit L.Lucilius, cum literis mandatíſque tuis : quo quidem homine neminem potuiſti, nec mihi amiciorem, nec(vt arbitror) ad ea cognoſcenda,quæ ſcire volebas, aptiorem, prudentiorémue mittere. Ego autem & tuas literas legi libenter, & audiui Lucilium diligenter. Epiſt.5.

Moleſtiſſimè autẽ fero, quòd te vbi viſurus ſim, neſcio, eóque ad te tardius ſcripſi, quòd quotidie teipſum expectabam : cùm interea ne literas quidem vllas accepi, quæ me docerent quid ageres,aut vbi te viſurus eſſem. Epiſt. 6.

Pluribus verbis ad te ſcribam quum plus otij nactus ero. Hæc ſcripſi ſubitò, cùm Bruti pueri Laodiceæ me conueniſſent, & ſe Romam properare dixiſſent. Itaque nullas iis præterquam ad te, & ad Brutum dedi literas. Epiſt. 7.

Et ſi quantùm ex tuis literis intelligere potui,videbam te hanc epiſtolam,cùm ad vrbem iſſes,eſſe lecturum, refrigerato iam leuiſſimo ſermone hominũ prouincialium : tamen cùm tu tam multis verbis ad me de improborum oratione ſcripſiſſes, faciendum mihi putaui, vt tuis literis breui reſpõdeam. Sed prima duo capita epiſtolæ tuæ,tacita mihi quodammodo relinquenda ſunt. Nihil enim habent, quod definitum ſit aut certum. Epiſt. 8.

Sed ſi me diligis, & ſi à me diligi vis, ad me literas,vt quamprimùm lætitia afficiar,mittito. Epiſt. 9.

Q. Seruilius perbreues à te, mihi tamen minus longæ viſæ ſunt. Iniuriam enim mihi fieri putabam, cùm rogabar. Epiſt. 10.

Stoma-

Stomachoſiores meas literas quas dicas eſſe, nõ intelligo. Bis ad te ſcripſi me purgans diligenter, te leuiter accuſans in eo, quòd de me citò credidiſſes. Quod genus querelæ, mihi quidem videbatur eſſe amici. Sin tibi diſplicet, non vtar eo poſthac. Sed ſi, vt ſcribis, hæ literæ non fuerunt diſertæ, ſcito meas non fuiſſe. Vt enim Ariſtarchus Homeri verſum negat, quem non probat: ſic tu (licet enim iocari) quod diſertum non erit, ne putaris meum. Epiſt. 11.

Ex libro quarto.

Accipio excuſationem tuam, qua vſus es, cur ſæpius ad me literas vno exemplo dediſſes: ſed accipio ex ea parte, quatenus ex negligentia, aut improbitate eorum, qui epiſtolas accipiunt, fieri ſcribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excuſationis, qua te ſcribis orationis paupertate (ſic enim appellas) iiſdem verbis epiſtolas ſæpius mittere, nec noſco, nec probo. Et ego ipſe, quem tu per iocum (ſic enim accipio) diuitias orationis habere dicis, me non eſſe verborũ admodum inopem agnoſco. Epiſt. 4.

Si autem qui eſſent, auderem ſcribere, niſi te intelligere confiderem, ſcriberem. Epiſt. 7.

Et ſi perpaucis ante diebus dederam Q. Mutio literas ad te pluribus verbis ſcriptas, quibus declaraueram, quo te animo cenſerem eſſe oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer.: tamen cùm Theophilus libertus tuus proficiſceretur, cuius ego fidem erga te, beneuolentiámque perſpexerã, ſine meis literis eum ad te venire nolui. Iiſdem igitur de rebus etiam atque etiam hortor, quibus ſuperioribus literis hortatus ſum: vt in ea Repub. quæcunque eſt, quamprimùm velis eſſe. Epiſt. 9.

Quærenti mihi iandiu, quid ad te potiſſimùm ſcriberem, non modò certa res nullo, ſed ne genus

quidem literarum vſitatum veniebat in mentem. Vnam enim in partem, & conſuetudinem earũ epiſtolarum, quibus ſecundis rebus vti ſolebamus, tempus eripuerat: perfecerátque fortuna, ne quid tale ſcribere poſſem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triſte quoddam, & miſerum, & his temporibus conſentaneum genus literarum. Id quoque deficiebat me, in quo debebat eſſe aut promiſſio auxilij alicuius, aut conſolatio doloris tui. Quod pollicerer, non erat: ipſe enim pari fortuna abiectus, aliorum opibus, caſus meos ſuſtentabam: ſæpiúſque mihi veniebat in mentem queri quòd ita viuerem, quàm gaudere quòd viuerem. Epiſt. 13.

Accepi perbreues tuas literas, quibus id, quod ſcire cupiebam, cognoſcere non potui. Cognoui autem id, quod mihi dubium non fuit. Nam quàm fortiter ferres communes miſerias, non intellexi: quàm me amares, facilè perſpexi: ſed hoc ſciebã. Illud ſi ſciſſem, ad id meas literas accommodaſſem. Epiſt. vlt.

Ex libro quinto.

Quòd ſcribis de reconciliata noſtra gratia, non intelligo cur reconciliatam eſſe dicas, quæ nunquam imminuta eſt. Epiſt. 2.

De me, meíſque rebus, ne vobis multitudine literarum moleſtior eſſem, ad Lollium perſcripſi: de rationibus etiam prouinciæ quid vellẽ fieri, vt is vos doceret, & commonefaceret. Epiſt. 3.

Ex literis tuis, quas publicè miſiſti, cepi vnà cum omnibus incredibilem voluptatem. Tantam enim ſpem otij oſtendiſti, quantam ego ſemper omnibus te vno fretus, pollicebar. Sed hoc ſcito, tuos veteres hoſtes, nouos amicos, vehementer literis perculſos, atque ex magna ſpe deturbatos iacere. Ad me autem literas quas miſiſti, quanquàm exiguã ſignificationem

ficationem tuæ erga me voluntatis habebant, tamen mihi ſcito iucundas fuiſſe. Nulla enim re tam lætari ſoleo, quàm meorum officiorum conſcientia: quibus ſi quádo non mutuò reſpondetur, apud me plus officij reſidere facillimè patior. Epiſt.7.

Has literas velim exiſtimes fœderis habituras eſſe vim, non epiſtolæ, méque ea, quæ tibi promitto ac recipio, ſanctiſſimè eſſe obſeruaturum, diligentiſſiméque facturum. Quæ à me ſuſcepta defenſio eſt te abſente, dignitatis tuæ: in ea iam ego non ſolùm amicitiæ noſtræ, ſed etiam conſtantiæ meæ cauſſa permanebo. Quamobrem ſatis eſſe hoc tempore arbitratus ſum, hæc ad te ſcribere: me ſi quid ipſe intelligerem, aut ad voluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere, mea ſponte id eſſe facturum. Sin autem quippiam aut à te eſſem admonitus, aut à tuis, effecturum, vt intelligeres, nihil neque te ſcripſiſſe, neque quenquam tuorum fruſtra ad me detuliſſe. Quamobrem velim ita & ipſe ad me ſcribas de omnibus minimis, maximis, mediocribúſque rebus, vt ad hominem amiciſſimum: & tuis præcipias, vt opera, conſilio, autoritate, gratia mea ſic vtantur in omnibus publicis, priuatis, forenſibus, domeſticis tuis, amicorum, hoſpitum, cliétum tuorum negotiis, vt quoad eius fieri poſſit, præſentiæ tuæ deſiderium meo labore minuatur. Epiſt.8.

Coram me tecum eadem hæc agere ſæpe conantem, deterruit pudor quidem penè ſubruſticus: quæ nunc expromã abſens audacius: epiſtola enim non erubeſcit. Ardeo cupiditate incredibili, neque, vt ego arbitror, reprehendenda, nomen vt noſtrum ſcriptis illuſtretur, & celebretur tuis. Quod etſi mihi ſæpe oſtèndis te eſſe facturum, tamen ignoſcas velim huic feſtinationi meæ. Epiſt.11.12.

His de rebus quid acturus ſis, ſi tibi moleſtũ non eſt, reſcribas mihi velim. Epiſt. eadem.

Quamquàm ipſa conſolatio literarum tuarũ mihi gratiſſima eſt (declarat enim ſummam beneuolentiam, pari prudentia coniunctam) tamen illũ fructum ex his literis, vel maximum cepi, quòd te præclarè res humanas contemnentem, & optimè contra fortunam paratum, ornatúmque cognoui. Quam quidem laudem ſapientiæ tuæ ſtatuo eſſe maximam, non aliunde pendere, nec extrinſecus aut benè aut malè viuendi ſuſpenſas habere rationes. Quæ cogitatio, cùm mihi nõ animo excidiſſet (etenim penitus inſiderat) vi tamen tempeſtatum, & concurſu calamitatum, erat aliquantum labefactata, atque conuulſa: cui te opitulari & video, & id feciſſe etiam proximis literis, multúmque profeciſſe ſentio. Itaque hoc ſæpius dicendum, tibíque non ſignificandum ſolùm, ſed etiam declarandum arbitror, nihil mihi eſſe potuiſſe tuis literis gratius. Epiſt. 12. 13.

Omnis amor tuus ex omnibus partibus ſe oſtendit in literis quas à te proximè accepi: non ille quidem mihi ignotus, ſed tamen gratus, & optatus: dicerem iucundus, niſi id verbum in omne tempus perdidiſſem. Epiſt. 14. 15.

His ergo literis ſi quid profeciſſem, exiſtimabam optandum quiddam me eſſe aſſecutum. Sin minus fortè valuiſſent, officio tamen eſſe functurum beneuolentiſſimi atque amiciſſimi: quem me tibi & fuiſſe ſemper exiſtimes velim: & futurum eſſe confidas. Epiſt 15. 16.

Non obliuione amicitiæ noſtræ, neque intermiſſione conſuetudinis meæ, ſuperioribus temporibus ad te nullas literas miſi: ſed quòd priora tempora in ruinis Reipub. noſtríſque tacuerunt: poſteriora autẽ

me à ſcribendo tuis iniuſtiſſimis, atque acerbiſſimis incommodis retardarunt. Cùm verò & interuallum iam ſatis longum fuiſſet, & tuam virtutem, animíque magnitudinem diligentius eſſem mecum recordatus: non putaui eſſe alienum inſtitutis meis, hæc ad te ſcribere. Epiſt. 16.17.

De tuo autem filio vereor, ne, ſi nihil ad te ſcripſerim, debitum eius virtutis teſtimonium videar nō dediſſe. Sin autem omnia quæ ſentio, perſcripſerim, ne refricem meis literis deſiderium, ac dolorē tuum. Sed tamen prudētiſſimè facies, ſi illius pietatem, virtutem, induſtriam, vbicunque eris, tuam eſſe tecum duces. Nec enim minus noſtra ſunt, quæ animo cōplectimur, quàm quæ oculis intuemur. Quamobrē tibi illius eximia virtus, ſummúſq; in te amor, magnæ tibi conſolationi eſſe debet. Epiſt. eadem.

Ex libro ſexto.

Peto à te, ne me putes obliuione tui rariùs ad te ſcribere, quàm ſolebā, ſed aut grauitate valetudinis, qua tamen iam paululū videor leuari: aut quod abſim ab vrbe, vt qui ad te proficiſcātur, ſcire non poſſim. Quare velim ita ſtatutum habeas, me tui memoriam ſumma beneuolentia tenere, tuáſque omnes res non minori mihi curæ, quàm meas eſſe. Epiſt. 2.

Superioribus literis beneuolētia magis adductus, quàm quòd res ipſa poſtularet, fui longior. Neque enim confirmatione noſtra egebat virtus tua: neque erat ea mea cura, atque fortuna, vt cui ipſi omnia deeſſent, alterum confirmarem: hoc item tempore breuior eſſe debeo. Siue enim tum nihil opus fuit multis verbis, nihilo magis nunc opus eſt: ſiue tum opus fuit, illud ſatis eſt, præſertim cùm acceſſerit nihil noui. Nam etſi quotidie aliquid audiuimus earum rerum, quas ad te perferri exiſtimo: ſumma

tamen eadem eſt, & idem exitus, quem ego tam video animo, quàm ea, quæ oculis cernimus: nec verò quicquam video, quod non idem te videre certo ſcio. Epiſt. 3.

Noui, quid ad te ſcriberem, nihil erat: & tamen ſi quid eſſet, ſciebam te à tuis certiorem fieri ſolere. De futuris autem rebus etſi ſemper difficile eſt dicere, tamen interdum coniectura poſſis propius accedere, cùm res eſt eiuſmodi, cuius exitus prouideri poſſit. Epiſt. 4.

Sed hæc ſatis multa, vel plura potius: quàm neceſſe fuit: facit tamen non loquacitas mea, ſed beneuolentia longiores epiſtolas. Epiſt. eadem.

Nec dubito quin legente te has literas, confecta iam res futura ſit. Epiſt. 12.

Nō ea res me deterruit, quò minùs poſtea, quàm in Italiam veniſti, literas ad te mitterem, quòd nullas ad me miſeras: ſed quia neç quid tibi pollicerer ipſe egens rebus omnibus, nec quid ſuaderem, cùm mihi metipſi conſilium deeſſet, nec quid conſolationis afferrem in tantis malis, reperiebam. Hæc quanquàm nihilò meliora ſunt, nunc etiam atque etiam multò deſperatiora: tamen inanes eſſe meas literas, quàm nullas malui. Epiſt. vltima.

Ex libro ſeptimo.

Hæc ad te pluribus verbis ſcripſi, quàm ſoleo, nō ocij abundantia, ſed amoris erga te, quò me quadam epiſtola ſubinuitaras (ſi memoria tenes) vt aliquid ad te eiuſmodi ſcriberem, quò minùs te prætermiſiſſe ludos pœniteret. Quod ſi aſſecutus ſum, gaudeo: ſin minus, hoc me tamen cōſolabor, quòd poſthac ad ludos venies, nóſque viſes: neq; in epiſtolis relinques meis ſpem aliquam delectationis tuæ. Epiſt. 1.

Hæc ad te ſcripſi verboſius, & tibi modeſtus fui.

quod

ıòd te, cùm mei, tum Reipub. cognoui amantiſ-
num. Notum tibi omne conſilium meum eſſe vo-
i. Epiſt. 3.
Habes epiſtolam verboſioré fortaſſe, quàm vel-
s: quod tibi videri ita putabo, niſi mihi longiorem
miſeris. Ego, ſi quæ volo, expediero breui tempore:
(vt ſpero) videbo. Epiſt. eadem.
Iandiu ignoro quid agas: nihil enim ſcribis. Neq;
o ad te his duobus menſibus ſcripſeram, quia cum
. Fratre meo non eras: quò mitterem, aut cui da-
n, neſciebā. Cupio ſcire quid agas: & vbi ſis hye-
aturus. Epiſt. 9.
Mirabar, quid eſſet, quòd tu mihi literas mittere
termiſiſſes. Indicauit mihi Panſa meus Epicureũ te
e factum. O caſtra præclara! Quid tu feciſſes, ſi te
rentũ, & non Samorobrinā miſiſſem? Epiſt. 12.
Adeò ne me iniuſtum eſſe exiſtimaſti, vt tibi ira-
rer, quòd parùm mihi conſtans, & nimiũ cupidus
cedendi viderere, ob eámq; cauſſam arbitrarere li-
as ad te iandiu non miſiſſe? Mihi perturbatio ani-
tui, quam primis literis perſpiciebam, moleſtiam
ulit. Neq; alia fuit vlla cauſſa intermiſſionis epi-
larũ, niſi quòd vbi eſſes, planè neſciebā. Epiſt. 13.
Chryſippus Vectius Cyri architecti libertus fecit,
te non immemorem putarem mei. Salutem enim
hi verbis tuis nunciauit. Valdè iam lautus es, qui
uére literas ad me dare, homini præſertim propè
meſtico. Quod ſi ſcribere oblitus es, minus multi
r, te aduocato, cauſſà cadent. Sin noſtri oblitus es,
ɔo operam vt iſtuc veniam, antè quàm planè ex
mo tuo effluo. Epiſt. 14.
Accepi à te aliquot epiſtolas vno tempore, quas
liuerſis temporibus dederas: in quibus me cætera
ectarunt. Significabant enim te iſtā militiam iam

firmo animo ferre, & eſſe fortem virum, & conſtã-tem. Quæ ego pauliſper à te ita deſideraui, nõ vt imbecillitate animi tui, ſed magis vt deſiderio noſtri te æſtuare putarem. Quare perge, vt cœpiſti, forti animo, iſtam tolera militiam: multa (mihi crede) aſſequêre. Epiſt. 18.

Quòd epiſtolam conſciſſam doles, noli laborare: ſalua eſt domi: petes, cùm licebit. Quòd autem me mones, valde gratum eſt: ídque vt ſemper facias rogo. Epiſt. 26.

Derideri te putas: nũc demum intelligo te ſapere. Sed me herculè extra iocum, valdè mihi tuæ literæ facetæ, elegantéſque viſæ ſunt. Epiſt. 33.

Tu mi Volumi, quando & inſtituiſti, & mihi vides eſſe gratum, ſcribe ad me quàm ſæpiſſimè de rebus vrbanis, de Repub. Iucundus eſt mihi ſermo literarum tuarum. Epiſt. eadem.

Ex libro octauo.

Quod tibi decedens pollicitus ſum, me omnes res vrbanas diligentiſſimè tibi perſcripturum, data opera paraui: qui ſic omnia perſecutus ſum, vt verear ne tibi nimium arguta hæc ſedulitas videatur. Tametſi tu ſcio quàm ſis curioſus, & quàm omnibus peregrinantibus gratum ſit, minimarum quoque rerum, quæ domi geruntur, fieri certiores: tamẽ in hoc te deprecor, ne meum officium hoc arrogantiæ condemnes, quòd hunc laborem alteri delegaui: non quin mihi ſuauiſſimum ſit, & occupato, & ad literas ſcribendas, vt tu noſti, pigerrimo, tuæ memoriæ dare operam. Epiſt. 1.

Tu ſi Pompeium, vt volebas, offendiſti, qui tibi viſus ſit, & quam orationem habuerit tecum, quanquam oſtenderit voluntatem (ſolet enim aliud ſentire, & loqui: neque tamen tantùm valere ingenio, vt

non

non appareat, quid cupiat) fac mihi perſcribas. Epiſt. eadem.

Exanimatus ſum tuis literis, quibus te nihil niſi triſte cogitare oſtendiſti, neque id quod eſſet perſcripſiſti. Non enim quale eſſet quod cogitares, aperuiſti. Has ad te illico literas ſcripſi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos tuos, obſecro, ne quid grauius de ſalute, & incolumitate tua conſulas. Epiſt. 17.

Ex libro nono.

Caninius idem tuus, & idem noſter, cùm ad me nuper veſperi veniſſet, & ſe poſtridie manè ad te iturum eſſe dixiſſet, dixi ei me daturum aliquid literarum manè, & vt peteret rogaui. Conſcripſi epiſtolam noctu: nec ille ad me rediit: oblitum credidi: Attamen eam ipſam epiſtolam miſiſſem per meos, niſi audiſſem ex eodem, poſtridie te manè è Tuſculano exiturum. Epiſt. 2.

Expectabam omnino iandiu, méque ſuſtinebam, ne à te prius ipſe quid ſcriberem, quàm aliquid accepiſſem; vt poſſem te remunerari quàm ſimillimo munere. Sed cum tu tardius faceres, id eſt, vt ego interpretor, diligentius, teneri non potui, quin coniúctionem ſtudiorum, amorísque noſtri, quo poſſem literarum genere declararem. Epiſt. 8.

Non ſum auſus Saluio noſtro nihil literarũ dare: nec mehercùlè habebam, quid ſcriberem niſi te à me mirabiliter amari: de quo, etiam nihil ſcribente me, te non dubitare certò ſcio. Omnino mihi literæ magis ſunt expectandæ à te, quàm à me tibi. Nihil enim Romæ geritur, quod te putem ſcire curare. Epiſt. 10.

Hæc tibi antea non reſcripſi, nõ quò ceſſator eſſe ſolerẽ, præſertim in literis: ſed cùm explorati nihil haberem, nec tibi ſollicitudinẽ ex dubitatione mea,

nec ſpem ex affirmatione afferre volui. Illud tamen adſcribam, quod eſt veriſſimum, me his temporibus adhuc de iſto periculo nihil audiſſe. Tu tamen pro tua ſapientia, debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt. Epiſt. 17.

Dupliciter delectatus ſum tuis literis: & quòd ipſe riſi, & quòd te intellexi iam poſſe ridere. Epiſt. 20.

Ex libro decimo.

Binas à te accepi literas eodem exemplo: quod ipſum, argumento mihi fuit diligentiæ tuæ. Epiſt. 5.

Etſi ſatis ex Furnio noſtro cognoueram, quæ tua voluntas, quod conſilium de Repub. eſſet: tamen lectis tuis literis, liquidius de toto ſenſu tuo iudicaui. Epiſt. 10.

Itaque cùm ad ſeptimum idus Aprilis manè mihi tuas literas Marcus Viriſidius reddidiſſet, eáſque legiſſem, incredibili gaudio ſum elatus. Cúmque magna multitudo optimorum virorum, & ciuium, me de domo deduceret, feci continuò omnes participes meæ voluptatis. Epiſt. 12.

Nihil poſt hominū memoriam glorioſius, nihil gratius, ne tempore quidem ipſo opportunius accidere vidi, quàm tuas Plance literas. Epiſt. 16.

Literæ tuæ mirabiliter gratæ ſunt ſenatui, cùm rebus ipſis quæ erant grauiſſimæ, & maximæ, fortiſſimi animi, ſummíque conſilij: tum etiam grauitate ſententiarum, atque verborum. Epiſt. 19.

Ita erant omnia, quæ iſtinc afferebantur, incerta, vt quid ad te ſcriberem, non occurreret. Epiſt. 20

Quod niſi res vrbanas, actáque omnia ad te perferri arbitrarer, ipſe perſcriberem: quanquàm eram

maximis

maximis occupationibus impeditus. Sed illa cognoſces ex aliis : à me pauca, & ea ſummatim. Epiſt. 28.

Ex libro vndecimo.

De tua fide, & beneuolétia in nos, niſi perſuaſum eſſet nobis, non circunſcripſiſſemus hæc tibi : quæ profectò quando iſtum animum habes, in optimam partem accipies. Epiſt. 2.

Literas tuas legimus ſimillimas edicti tui contumelioſas, minaces, minimè dignas, quæ à te nobis mitterentur. Epiſt. 3.

Lupus noſter cùm Romam ſexto die Mutina veniſſet, poſtridie me manè conuenit, tuáque mihi mandata diligentiſſimè expoſuit, & literas reddidit. Epiſt. 6.

Neque hæc idcirco tibi ſcribo, quòd te non eadẽ animaduertere ſciam, ſed quòd mihi perſuaſiſſimum ſit, Lepidum rectè facturum nunquam. Epiſt. 9.

Qua enim prudentia es, nihil te fugiet, ſi meas literas diligenter legeris. Epiſt. 13.

Etſi mihi literæ tuæ iucundiſſimæ ſunt, tamen iucundius fuit, quòd in ſumma occupatione tua, Planco collegæ mandaſti, vt te mihi per literas excuſaret, quod fecit ille diligenter : mihi autem nihil amabilius officio tuo, & diligentia. Coniunctio tua cum collega tuo, concordiáque veſtra, quæ literis communibus declarata eſt, ſenatui, populóque Romano gratiſſima accidit. Quod ſupereſt, perge mi Brute, & iam non cum aliis, ſed tecum ipſe certa. Plura ſcribere non debeo, præſertim ad te, quo magiſtro breuitatis vti cogito. Literas tuas vehementer expecto, & quidem taleis, qualeis maximè opto. Epiſt. 15.

Permagni intereſt, quo tibi hoc tempore epiſtola reddita ſit : vtrum cùm ſollicitudinis aliquid

haberes, an cùm ab omni moleſtia vacuus eſſes. Itaque ei præcepi, quem ad te miſi, vt tempus obſeruaret epiſtolæ tibi redendæ. Nam quemadmodum coràm, qui ad nos intempeſtiuè adeunt, moleſti ſæpe ſunt: ſic epiſtolæ offendunt non loco redditæ. Si autem, vt ſpero, nihil te perturbat, nihil impedit: & ille, cui mandaui, ſatis ſcitè, & commodè tempus ad te cœpit adeundi: confido me, quod velim, à te facilè impetraturum. Epiſt. 16.

Ad ſenatum quas literas miſi, velim prius perlegas, & ſi qua tibi videbuntur commutanda, commutes. Neceſſariò me ſcripſiſſe ipſe animaduertes. Epiſt. 19.

Expectanti mihi tuas quotidie literas, Lupus noſter ſubitò denunciauit, vt ad te ſcriberem, ſi quid vellem. Ego autem etſi quid ſcriberem non habebã (acta enim ad te mitti ſciebam) inanem autem ſermonem literarum tibi iniucundum eſſe audiebam, breuitatem ſecutus ſum, te magiſtro. Epiſt. 25.

Ex libro duodecimo.

Breuitas tuarum literarum me quoque breuiorẽ in ſcribẽdo facit: &, vt verè dicam, non ſatis occurrit, quid ſcribam. Epiſt. 9.

Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognoui. Videbaris enim non ſolùm fauere nobis, id quod & noſtri, & Reip. cauſa ſemper feciſti: ſed etiam grauem curam ſuſcepiſſe, vehementérque eſſe de nobis ſollicitus. Epiſt. 12.

Grata mihi eſt vehementer memoria noſtri tua, quam ſignificaſti literis: quam vt conſerues, non quòd de tua cõſtantia dubitem, ſed quia mos eſt ita rogandi, rogo. Epiſt. 17.

Quod extremum fuit in illa epiſtola, quam à te proximè accepi, ad id primùm reſpõdebo. Epiſt. 18.

Libentiſſimè legi tuas literas: in quibus iucundiſ-
ſimum mihi fuit, quòd cognoui meas tibi redditas
eſſe. Non enim dubitabam, quin eas libenter lectu-
rus eſſes: verebar, ne rederentur. Epiſt 19.

Páſa tuas literas recitauit. Magna ſenatus appro-
batio conſecuta eſt cum ſummo gaudio. Epiſt.26.

Ex libro decimoquarto.

Noli putare me ad quemquam longiores epiſto-
las ſcribere, niſi ſi quis ad me plura ſcripſerit, cui pu-
to reſcribi oportere. Nec enim habeo quod ſcri-
bam: nec hoc tempore quicquam difficilius facio.
Epiſt. 2.

Accepi tuas literas, quibus intellexi te vereri, ne
ſuperiores mihi redditæ non eſſent. Omnes ſunt red-
ditæ, diligentiſſiméque à te perſcripta omnia: ídque
mihi grauiſſimum fuit. Epiſt. 5.

Quid fieri placeret, ſcripſi ad Pomponium, ſeriùs
quàm oportuit. Cum quo ſi locutus eris, intelliges
quid fieri velim. Apertius ſcribi, quàm ad illum ſcri-
pſerim, neceſſe non fuit. De ea re, & de cæteris rebus
quamprimùm velim nobis literas mittas. Valetudi-
nem tuam cura diligenter. Epiſt. 10.

Si quid haberem, quod ad te ſcriberem, facerem
id & pluribus verbis, & ſæpius. Nunc quæ ſunt ne-
gotia, vides. Epiſt.17.

Ex libro quintodecimo.

Puto te iam ſuppudere, cùm hæc te tertia iam e-
piſtola antè oppreſſit, quàm tu ſchedulā, aut literam:
ſed non vrgeo: longiores enim expectabo, vel potius
exigam. Ego, ſi ſemper haberem cui datē, vel ternas
in hora darem. Fit enim neſcio quid, vt quaſi coram
adeſſe videare, cùm ſcribo aliquid ad te. Epiſt. 16.

Longior epiſtola fuiſſet, niſi eo ipſo tempore pe-
tita eſſet à me, cùm iam iretur ad te. Epiſt. 18.

Non mehercule in hac mea peregrinatione quicquam libétius facio, quàm ſcribo ad te. Videor enim cum præſente loqui, & iocari. Epiſt. 19.

Quò tolerabilius feramus igniculũ deſiderij tui, crebris nos literis appellato, atque ita, ſi idem fiet à nobis. Epiſt. 20.

Aliter ſcribimus, quòd eos ſolos, quibus mittimus: aliter, quòd multos lecturos putamus. Epiſt. vltima.

Ex libro decimo ſexto.

Tertiam ad te hanc epiſtolam ſcripſi eadem die, magis inſtituti mei tenendi cauſſa, quia nactus eram cui darem, quàm quòd haberem quid ſcriberem. Epiſt. 7.

Scripta iam epiſtola, Hermia venit. Accepi tuam epiſtolam vacillantibus literulis: nec mirum, tam graui morbo.

Si quem cum eo ſermonem habueris, ſcribes ad me, vt mihi naſcatur epiſtolæ argumentum, & vt tuas quàm longiſsimas literas legam. Cura mi Tiro, vt valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes. Epiſt. 22.

SENTENTIÆ, SEV SCRIBENDI *formulæ, quæ ad magnitudinem amoris, beneuolentiæ, familiaritatis, officiiue, aut beneficij noſtri in alterum, aut alterius in nos explicandam pertinent. Cap. 2.*

Ex primo libro.

EGO omni officio, ac potius pietate erga te, cæteris ſatisfacio omnibus: mihi ipſe nunquam ſatisfacio. Tanta enim eſt magnitudo tuorũ erga me meritorum, vt quoniam tu, niſi perfecta re de me non conquieſti: ego quia non idem in tua cauſſa efficio, vitam mihi acerbam putem. Epiſt. 1.

Nam cùm in ſermone quotidiano, tum in ſenatu palàm ſic egit cauſſam tuã, vt neq; eloquẽtia maiore quiſquam, nec grauitate, nec ſtudio, nec contentióne agere potuerit, cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe officiorum, & amoris erga te ſui. Epiſt. eadem.

Eum non ſolùm beneficio, ſed amore etiam, & perpetuò meo quidem iudicio diligebam. Epiſt. 9.

Hic multùm valuit vetus amicitia, quam tu non ignoras mihi, & Quinto fratri cum Cæſare fuiſſe: tum humanitas eius, ac liberalitas breui tempore & literis, & officiis perſpecta nobis & cognita. Epiſt. eadem.

Sic enim te exiſtimare velim, neminem eſſe cuius officiis me tam eſſe deuinctum, non ſolùm confitear: ſed etiam gaudeam. Epiſt. eadem.

Exiſtimes velim neminem cuiquam, neque chariorem, neque iucundiorem vnquam fuiſſe, quàm te mihi: ídque me, non modò vt tu ſentias, ſed vt omnes gentes, etiam vt poſteritas omnis intelligat eſſe facturum. Epiſt. 10.

Ex libro ſecundo.

Illud profectò cognoſces, mihi te neque chariòrem, neque iucundiorem eſſe quemquam. Epiſt. 2.

Graue eſt enim homini prudẽti petere aliquid magnũ ab eo, de quò ſe benè meritũ putet: ne id quod petat, exigere magis, quàm rogare, & in mercedis potiꝰ.

quàm beneficii loco numerare videatur. Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipſa nouitate meorum temporum clariſſima, & maxima beneficia extiterunt: éſtque animi ingenui, cui multùm debeas, eidem plurimum velle debere: non dubitaui id à te per literas petere, quod mihi omnium eſſet maximũ, maximéque neceſſarium. Neque enim ſum veritus, ne ſuſtinere tua in me vel innumerabilia beneficia non poſſem: cùm præſertim conſiderem, nullam eſſe gratiam, quam vel non capere animus meus accipiendo, vel remunerando, cumulandóque illuſtrare poſſet. Epiſt. 5.

Te verò mi Rufe diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, vltorẽ nõn modò inimicorum, ſed etiam inuidorum meorum: vt eos partim ſcelerum ſuorum, partim etiam ineptiarum pœniteret. Epiſt. 8.

Ex libro tertio.

Sic enim perſuade tibi chariſſimum te mihi eſſe, cùm propter multas ſuauitates ingenij, officij, humanitatis tuæ, tum quòd ex literis tuis, & ex multorum ſermonibus intelligo omnia quæ à me profecta ſunt in te, tibi accidiſſe gratiſſima. Quod cùm ita ſit, perficiam profectò, vt longi temporis vſuram, qua caruimus, intermiſſa noſtra conſuetudine, & gratia, & crebritate, & magnitudine officiorum meorum ſartiam. Epiſt. 1.

Meum ſtudium erga te, & officium, tametſi multis iam rebus ſpero tibi eſſe cognitum, tamen in his maximè declarabo, quibus plurimùm ſignificare potero, tuam mihi exiſtimationem, & dignitatem chariſſimam eſſe. Epiſt. 4.

Et re vera confirmata amicitia, & perfecta fide, commemoratio officiorum ſuperuacanea eſt: eam

partem

partem orationis prætermittam: tibi tamen agam,vt debeo, gratias. Epiſt. 5.

Sed vt ad rem redeam, me tibi non amicum modò,verumetiam amiciſſimum exiſtimes velim: profectò omnibus meis officiis efficiam,vt ita eſſe verè poſſis iudicare. Epiſt. 7.

Sic habeto tamé, niſi iam nunc omnia negotia cũ ſumma tua dignitate diligentiſſimè confeciſſem, tametſi nihil videbatur ad meum erga te priſtinũ ſtudium addi poſſe, tamen hac mihi affinitate nunciata, non maiore quidé ſtudio,ſed acrius,apertius,ſignificantius dignitatem tuam defendiſſem. Epiſt. 12.

Ex libro quinto.

Primùm,hoc velim exiſtimes,animũ mihi iſtum tuum vehementer probari, & fraternam plenam humanitatis,& pietatis voluntatem. Epiſt. 2.

Ego te mihi ſemper amicum eſſe volui: me vt tibi amiciſſimum eſſe intelligeres, laboraui, maneo in voluntate,& quoad voles tu, permanebo: citiúſque amore tui fratrem tuum odiſſe deſinam, quàm illius odio quicquam de noſtra beneuolentia detrabatur. Epiſt. eadem.

Ego ſi abs te ſumma officia deſiderem, mirum nemini videri debet.Omnia enim à me in te profecta ſunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent.Pro his rebus nullam mihi abs te relatam eſſe gratiã, tu es optimus teſtis. Epiſt. 5.

Quãtum meum ſtudium extiterit dignitatis tuæ vel tuendæ,vel etiam augendæ, non dubito quin ad te omnes tui perſcripſerint. Non enim fuit aut mediocre, aut obſcurum, aut eiuſmodi, quod ſilentio poſſet præteriri.Nam & cum conſulibus,& cũ multis conſularibus tanta contentione decertaui,quanta

nunquam antea vlla in cauſſa: ſuſcepíque mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis, veteríque noſtræ neceſſitudini iamdiu debitum, ſed multa varietate temporum interruptũ officium cumulatè reddidi. Neque mehercule vnquã mihi tui aut colendi, aut orandi volũtas defuit: ſed quædam peſtes hominũ laude aliena dolentiũ, & te nonnunquam à me alienarunt: & me aliquando immutarũt tibi. Sed extitit tempus optatum mihi magis quàm ſperatũ, vt florentiſſimis tuis rebus mea proſpici poſſet & memoria noſtræ voluntatis, & amicitiæ fides. Sum enim cõſecutus nõ vt domus tua tota, ſed tota ciuitas me tibi amiciſſimũ eſſe cognoſceret. Epiſt. 8.

Quos quidẽ ego ambos vnicè diligo, ſed in Marco beneuolentia impari. Hoc magis ſum Publio deditus, quod me quamquam à pueritia ſua ſemper, tamen hoc tempore maximè, ſicut alterum parentem & obſeruat, & diligit. Epiſt. eadem.

Etſi mihi nũquam dubiũ fuit, quin tibi eſſem chariſſimus, tamẽ quotidie id magis perſpicio. Epiſt. 19.

Ex libro ſeptimo.

Facilè perſpexi ex tuis literis (quod ſemper ſtudui) & me à te plurimi fieri, & te intelligere, quàm mihi charus eſſes. Quod quando vterque noſtrum conſecutus eſt, reliquum eſt vt officiis certemus inter nos, quibus æquo animo vel vincam te, vel vincar abs te. Epiſt. 32.

Ex libro nono.

Semper amaui, vt ſcis, M. Brutum, propter eius ſummum ingenium, ſuauiſſimos mores, ſingularem probitatem, atque conſtantiam: tamẽ idibus Martiis tantùm acceſsit ad amorem, vt mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatũ eſſe videbatur. Quis erat, qui putaret ad eum amorem,

quem

quem erga te habebam, poſſe aliquid accedere? Tantum acceſſit, vt mihi nunc denique amare videar: antea dilexiſſe. Epiſt. 14.

Nam cùm ſatis à multis (non enim poſſum aliter dicere) & coli me videam, & diligi: nemo eſt illorum omnium mihi te iucundior. Nam quòd me amas: quòd id etiam pridem & conſtanter facis: eſt id quidem magnum, atque haud ſcio, an maximum: ſed tibi commune cum multis. Quod tu ipſe tam amandus es, tamque dulcis, tamque in omni genere iucundus, id eſt propriè tuum. Epiſt. 15.

Nam etſi facilè non dijudicatur amor verus, & fictus, niſi aliquod incidat eiuſmodi tempus, vt quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poſſit: cætera ſunt ſigna cõmunia: ſed ego vno vtor argumento, quamobrem me exanimo veréque arbitror diligi, quia & noſtra fortuna ea eſt, & illorum, vt ſimulandi cauſſa non ſit. Epiſt. 16.

Non poſſum eum non diligere, cuius beneficio id conſecutus ſum. Epiſt. 17.

Ex libro decimo.

Illud autẽ erat amoris mei: quem à tua pueritia ſuſceptum non ſeruaui ſolùm, ſed etiam auxi: monere te, atque hortari, vt in rempublicam omni cogitatione, curáque incumberes. Epiſt. 1.

Ego Plance neceſſitudinẽ conſtitutã habui cum domo veſtra, antè aliquantò quàm natus tu eſſes: amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua, confirmata iam ætate familiaritatem, tum ſtudio meo, tum iudicio tuo conſtitutam. His de cauſſis mirabiliter faueo dignitati tuæ, quam mihi tecum ſtatuo habere communem. Epiſt. 3.

Hæc amore magis impulſus ſcribẽda ad te putaui, q̃ ꝙ arbitrarer te monitis, & præceptis meis egere.

Sciebam enim ex iiſdē te hæc haurire fontibus ex quibus ipſe hauſeram. Quare modum faciam. Nunc tantùm ſignificandum putaui, vt potius amorem tibi oſtenderem meum, quàm oſtentarem prudentiam. Epiſt. eadem.

Nullum enim in te officiū, ne minimum quidē, ſine maxima culpa video poſſe prætcrire: in quo tuēdo habeo cauſſas plurimas, vel paternæ neceſſitudinis, vel meæ à pueritia obſeruantiæ, vel tui erga me mutui amoris. Quare mi Cicero, quod mea tuáq; patitur ætas, perſuade tibi te vnū eſſe in quo ego colēdo, patriā mihi conſtituerim ſanctitatem. Epiſt. 4.

Non minus enim à te probari, quàm diligi ſemper volui: nec te magis in culpa defenſorē mihi paraui, quàm prædicatorem meritorum meorum eſſe volui. Epiſt. 7.

Ad eas enim cauſſas, quibus inter nos amore ſumus officiis, vetuſtate coniuncti, patriæ charitas acceſſit: eáque effecit, vt tuam vitam anteferrem meæ. Epiſt. 10.

Studia mea erga te, quibus certè nulla eſſe maiora potuerunt, tibi tam grata eſſe, quàm ego putaui fore, minimè miror, vehementérque lætor. Quæ quidem tu, ſi rectè iſtic erit, maiora, & grauiora cognoſces. Epiſt. 20.

Te quidem, mi Cicero, in dies me herculè habeo chariorem: ſollicitudinéſque meas quotidie magis tua merita exacuunt, ne quid ex amore, aut ex iudicio tuo perdam. Opto, vt mihi liceat iam præſenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere iucundiora. Epiſt. 23.

De meo ſtudio erga ſalutem, & incolumitatem tuam, credo te cognoſcere ex literis tuorum, quibus me cumulatiſſimè ſatisfeciſſe certò ſcio; nec iis con-

cedo

cedo, quanquàm ſunt ſingulari in te beneuolentia, vt te ſaluum malint, quàm ego. Illi mihi neceſſe eſt concedant, vt tibi plus, quàm ipſi hoc tempore pro-deſſe poſſim: quod quidem nec deſtiti facere, nec de-ſiſtam: & iam in maxima re feci, & fundaméta ieci ſalutis tuæ. Tu fac bono animo, magnóque ſis, méque tibi nulla re defuturum eſſe confidas. Epiſt. 29.

Etſi omni tempore ſumma ſtudia officij mutuò inter nos certatim conſtiterunt, pro noſtra inter nos familiaritate, & proinde diligenter ab vtroque conſeruata ſunt: tamen non dubito in tanto, & tam repentino motu reipublicæ, quin nonnulla de me falſis rumoribus à meis obtrectatoribus me indigna ad te delata ſint, quæ tuum animum magnopere mouerent pro tuo amore in Rempublicam. Ea te moderatè accepiſſe, neque temerè credendum iudicaſſe, à meis procuratoribus certior ſum factus, quæ mihi, vt debent, gratiſſima ſunt. Epiſt. 35.

Ex libro vndecimo.

Si de tua in me voluntate dubitarem, multis à te verbis peterem, vt dignitatem meam tuerêre: ſed profectò eſt ita, vt mihi perſuaſi, me tibi eſſe curæ. Epiſt. 4.

Quæ de te in ſenatu egerim, quæ in cōcione maxima dixerim, aliorum te literis malo cognoſcere. Illud tibi perſuadeas velim: me omnia, quæ ad tuā dignitatem augendam pertinebunt, quæ eſt per ſe ampliſſima, ſummo ſemper ſtudio ſuſcepturum, & defenſurum. Quod quanquam intelligo me, cum multis eſſe facturum, tamen appetam huius rei principatum. Epiſt. 6.

Admirabilis eſt enim quædā tui nominis charitas, amórque in te ſingularis omnium ciuium. Ita enim ſperant, atque confidunt. Epiſt. 8.

Quod pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaq; officia cogunt. vt timeam. Epiſt. 20.

Quantùm memoria præterita repetere poſſum, nemo eſt mihi te amicus antiquior. Sed vetuſtas habet aliquid commune cum multis, amor non habet. Dilexi te, quo die cognoui: meque à te diligi iudicaui. Epiſt. 27.

Equidem & ante hoc tempus te dilexi, & ſemper me à te diligi ſenſi. Et cùm abeſſem, atque in magnis periculis eſſem, & me abſentem, & meos præſentes à te cultos, & defenſos eſſe memini. Et poſt meum reditum, quàm familiariter mecum vixeris, quæque ego de te & ſenſerim, & prædicauerim, omnes qui ſolent hæc animaduertere, teſtes habemus. Grauiſſimum verò iudicium de mea fide, & conſtantia feciſti, cùm poſt mortem Cæſaris, totum te ad amicitiam meam contuliſti. Quod tuum iudicium, niſi ſumma mea beneuolentia erga te, omnibúſque meritis comprobâro, ipſe me hominem non putabo. Tu mi Appi, conſeruabis amorem tuum (etſi more magis hoc quidem ſcribo, quàm quod te admonendum putem) meaque omnia tuebere, quæ tibi ne incognita eſſent, Attico mandaui. A me autem, cùm paulùm ocij nacti erimus, vberiores literas expectato. Da operam vt valeas: hoc mihi gratiùs facere nihil potes. Epiſt. vltima.

Ex libro duodecimo.

Puto enim, etiam ſi rem minus probabis, tamen in iſta ſolicitudine quicquid à me profectum ſit, iucundum tibi fore. Quod mihi exiſtimationem tuam, dignitatemque commendas, facis tu quidem omnium more. Sed velim ſic exiſtimes, me, cùm amori, quem inter nos mutuum eſſe intelligis, plurimum tribuam, tum de ſummo ingenio, tum de optimis

tuis

uis ſtudiis, & de ſpe ampliſſimæ dignitatis ita iudi-
care, vt neminem tibi anteponam, comparem pau-
cos. Epiſt. 17.

Ego nullum locũ prætermitto (nec enim debeo) non modò laudandi tui, ſed ne ornandi quidem. Sed mea ſtudia erga te, & officia, malo tibi ex tuorum literis, quàm ex meis eſſe nota. Epiſt. 25.

Quanquàm admodum ſumus iam defatigati, nulla tamen laſſitudo impedire officium, & fidem debet. Epiſt. 26.

Non dubitabam equidem: verumtamen multò mihi notiorem amorem tuum effecit Cherippus. O hominem ſemper illum quidem mihi aptum, nunc verò etiam ſuauem! Vultus mehercule tuos mihi expreſſit omnes: non ſolùm animum, ac verba pertulit. Epiſt. vltima.

Ex libro tertiodecimo.

Sed & initio Romæ, cum te quoque, & tuos omnes obſeruabat, me coluit imprimis: & nuper, cùm ea, quæ voluit de ſuis cõmodis, & præmiis conſecutus eſt, me habuit ſuorum defenſorum, & amicorum verè principem. Epiſt. 1.

Pomponium Atticum ſic amo, vt alterum fratrẽ: nihil eſt illo mihi nec charius, nec iucundius. Is, non quò ſit ex iſtis (eſt enim omni liberali doctrina politiſſimus) ſed valde diligit Patronem, valde amauit Phædrum: ſic à me hoc contendit homo minimè ambitioſus, minimè in rogitando moleſtus, vt nihil unquam magis: nec dubitat, quin ego à te nutu hoc conſequi poſſem. Epiſt. eadem.

Ex libro quintodecimo.

Agam iam tecum familiariter, vt eſt & ſtudiis, & officiis noſtris mutuis, & ſumma amicitia dignum, & neceſſitudine etiam paterna. Epiſt. 4.

Liber iſte, quem mihi miſiſti, quantam declarationẽ habet amoris tui! Primùm, quòd tibi facetum videtur, quicquid ego dixi, quod aliis fortaſſe non item. Deinde, quòd illa ſiue faceta ſunt, ſiue ſecus, fiũt narrante te, etiam venuſtiſſima: quinetiã antequàm ad me veniatur, riſus omnis penè cõſumitur. Quod ſi in his ſcribendis nihil aliud, niſi, quod neceſſe fuit, de vno me tãdiu cogitauiſſes, ferreus eſſem, ſi te nõ amarem. Cùm verò ea, quæ ſcriptura perſecutus es, ſine ſummo amore cogitare non potueris, non poſſum exiſtimare plus quenquam à ſeipſo, quàm me à te amari. Cui quidem ego amori (vtinã cæteris rebus poſſem) amore certè reſpondebo. Epiſt. vltima.

Reliquum eſt, vt tuam profectionẽ amore proſequar: reditum ſpe expectem: abſentem memoria colam: omne deſiderium literis mittendis, accipiẽdíſque leniam. Tu velim tua in me ſtudia, & officia, multùm tecum recordêre: quæ cùm tibi liceat, mihi nefas ſit obliuiſci, non modò virum bonum me exiſtimabis, verumetiam te à me amari plurimùm iudicabis. Vale. Epiſt. eadem.

SENTENTIÆ, SEV SCRIBENDI *formulæ, quibus vti conſueuimus, vbi conſilium, auxiliúmue amico vel damus, vel ab eo petimus. Caput 3.*

Ex libro ſecundo.

EQuidem ſententiam meam aut ſcribam ad te poſtea pluribus, aut, ne ad eam meditêre, imparatum te offendam: corámque contra iſtam tuam rationem, meam dicam; vt aut te in meam ſenten-

entiam adducam: aut certè teſtatum apud ani-
m tuum relinquam, quid ſenſerim: vt ſi quando
od nolim) diſplicere tibi tuum conſilium cœpe-
poſſis meum recordari. Epiſt. 2.
Sera gratulatio reprehendi non ſolet, præſertim
ulla negligentia prætermiſſa eſt: longè enim ab-
n, audio ſerò. Sed tibi & gratulor: &, vt ſempi-
næ laudi tibi ſit iſte Tribunatus, exopto: téque
rtor, vt omnia gubernes, & moderêre prudentia
: ne te auferant aliorũ conſilia. Nemo eſt, qui ſa-
ntiùs tibi ſuadere poſſit teipſo: nunquam labêre,
e audies. Non ſcribo hoc temerè: cui ſcribam vi-
o: noui animũ, noui conſilium tuum. Non vereor,
quid timidè, nequid ſtultè facias, ſi ea defendes,
æ ipſe recta eſſe ſenties. Epiſt. 6.
Sed amabò te, cura & cogita, nihil noui, ſed illud
em quod initio ſcripſi: tecum loquere, te adhibe in
nſilium, te audi, tibi obtempera. Alteri qui melius
are conſilium poſſit, quàm tu, non facilè inueniri
oteſt: tibi verò ipſi certè nemo melius dabit. Dij
nmortales, cur ego non adſum vel ſpectator laudũ
uarum, vel particeps, vel ſocius, vel miniſter conſi-
iorum? Tametſi hoc minimè tibi deeſt: ſed tamen
fficeret magnitudo, & vis amoris mei, conſilio te
t poſſem iuuare. Epiſt. eadem.
Raras tuas equidẽ (fortaſſe enim non perferun-
tur) ſed ſuaues accipio literas: vel quas proximè ac-
ceperam, quàm prudentes, quàm multi & officij, &
conſilij? Et ſi omnia ſic conſtitueram mihi agenda,
vt tu admonebas, tamen confirmantur noſtra con-
ſilia, cùm ſentimus prudentibus, fidelitérque ſuaden-
tibus idem videri. Epiſt. 12.

Ex libro tertio.

A te maximopere pro noſtra ſumma cõiunctione

tuáque ſingulari humanitate etiam atque etiam peto, & quæſo, vt quibuſcunque rebus poteris (poteris autem plurimis) proſpicias, & conſulas rationibus meis. Hoc velim tibi perſuadeas, ſi rationibus meis à te prouiſum eſſe intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam voluptatem eſſe capturum. Epiſt. 2.

Ex libro quarto.

Quod meum conſilium exquiris: id eſt tale, vt capere faciliùs ipſe poſſim, quàm alteri dare. Quid enim eſt, quod audeam ſuadere, tibi homini ſumma autoritate, ſummáque prudentia? Epiſt. 2.

Etſi eo te adhuc conſilio vſum intelligo, vt id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipſe diſſentiam, ſed quòd ea te ſapientia eſſe iudicem, vt meum conſilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ noſtræ vetuſtas, & tua ſumma erga me beneuolentia, quæ mihi iam à pueritia tua cognita eſt, me hortata eſt, vt ea ſcriberem ad te, quæ & ſaluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena eſſe ducerem à dignitate. Epiſt. 7.

Plurimùm valuiſſe apud me tuam ſemper autoritatem cùm in omni re, tum in hoc maximè negotio potes exiſtimare. Cùm mihi C. Marcellus frater amantiſſimus mei, non ſolùm conſilium daret, ſed precibus quoque me obſecraret: non prius mihi perſuadere potuit, quàm tuis eſt effectum literis, vt vterer veſtro potiſſimùm conſilio. Epiſt. 11.

Ex libro quinto.

Si ſolitudine delectâre, cùm ſcribas, & aliquid agas eorum, quorum conſueſti, gaudeo, neque reprehendo tuum conſilium? nam nihil iſto poteſt eſſe iucundius, non modò miſeris his temporibus, & luctuoſis: ſed etiam tranquillis, & optatis. Epiſt. 14.

Nam

Nam quòd allatura eſt ipſa diuturnitas, quæ maximos luctus vetuſtate tollit, id nos præripere conſilio, prudentiáque debemus. Etenim ſi nulla vnquam fuit liberis amiſſis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit: certè nos, quod eſt dies allatura, id conſilio anteferre debemus: neque expectare temporis medicinam, quam repræſentare ratione poſſimus. Epiſt. 16.

Ex libro octauo.

Tibi autem idem conſilij do, quod mihimetipſi: vt vitemus oculos hominum, ſi linguas minus facilè poſſumus. Qui enim victoria ſe efferunt, quaſi victos nos intuentur. Qui autem victos eſſe noſtros moleſtè ferunt, nos dolent viuere. Quæres fortaſſe, cur cùm hæc in vrbe ſint, non abſim, quemadmodũ tu. Tu enim ipſe, qui & me, & alios prudentia vincis, omnia credo, vidiſti: nihil omnino te fefellit. Quamuis quis eſt tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat.? nuſquam incurrat? Epiſt. 2.

Ex libro decimo.

Omnia igitur tua conſilia mihi non magis prudentiæ plena, quæ ſumma eſt, videntur, quàm fidelitatis, quam ego ex mea conſcientia metior. Quare ſi aut aliter ſentirem, certè admonitio tua me reprimere, aut ſi dubitarem, hortatio impellere poſſet, vt id ſequerer, quod tu optimum putares. Nunc verò quid eſt, quod me in aliam partem trahere poſſit? Epiſt. 4.

Ego eam ſententiam dixi, cui ſunt aſſenſi ad vnũ. Ea quæ fuerit, ex ſenatuſconſulto cognoſces. Tu quanquam conſilio non eges, vel abundas potius: tamen hoc animo eſſe debes, vt nihil huc reiicias néue in rebus tam ſubitis, tamque anguſtis, à ſenatu conſilium petendum putes. Ipſe tibi ſis ſenatus.

Quocunque te ratio Reipublicæ ducet, ſequare. Cures, vt antè factum aliquod à te egregium audiamus, quàm futurum putârimus. Illud tibi promitto: quicquid erit à te factum, id ſenatum non modò vt fideliter, ſed etiam vt ſapienter factum comprobaturum. Epiſt. 16.

Quid in animo habuerim cum Læuus, Neruáque diſceſſerunt à me, & ex literis, quas eis dedi, & ex ipſis cognoſcere potuiſti, qui omnibus rebus, conſiliiſque meis interfuerunt. Accidit mihi, quod homini prudenti, & cupido ſatisfaciendi Reipublicæ, boníſque omnibus accidere ſolet: vt conſilium ſequerer periculoſum magis, dum me probarem, quàm tutum, quod habere poſſet obtrectationem. Epiſt. 18.

Ex libro duodecimo.

Vtinam haberē, quid darem vobis conſilij. Sed ne mihi quidem ipſi reperio, quid faciendum ſit. Quid enim eſt, quod contra vim ſine vi fieri poſſit? Conſilium autem omne hoc eſt illorum, vt mortem Cæſaris perſequantur. Itaque ante diem ſextum nonarum Octobrium productus in concionem à Canutio, turpiſſimè ille quidem diſceſſit. Epiſt. 3.

SENTENTIÆ, SEV SCRIBENDI *formulæ, quas accommodamus, quum noſtrum officium, ſtudium, operam, laborem, diligentiam, & curam aliis, aut ſuum illi nobis deferre pollicentur: & cum de acceptis beneficiis gratias habemus.* Cap. 4.

Ex libro primo.

TV velim ita tibi perſuadeas, nullam rem eſſe minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non charior ſit, quàm meæ res omnes. Idque ìm ſentiam,ſedulitate mihimet ipſe ſatisfacere non oſſum. Re quidem ipſa ideo mihi non ſatisfacio, iòd nullam partem tuorum meritorum non mo- ò referenda, ſed ne çogitanda quidem gratia con- qui poſſum. Epiſt. 8.

Tantùm enitor, vt neque amicis, neque etiam ienioribus, opera, conſilio, labore, deſim. iſt. 9.

Me quidem certè tuarum actionum, ſententia- m, voluntatum, rerum denique omnium ſocium, mitémque habebis. Neque mihi in omni vita res n erit vlla propoſita, quàm vt quotidie vehemen- is te de me optimè meritum eſſe lætêre. Epiſt. dem ad finem.

Quantùm literis, quantùm ſtudiis, veteribus no- is delectationibus conſequi poterimus, id omne arbitrium tuum, qui ſemper hæc amaſti, libentiſ- iè conferemus. Epiſt. 10.

Ex libro ſecundo.

Ego omnia mea ſtudia, omnémque operam, cu- 1, induſtriam, cogitationem, mentem denique nẽ, in Milonis conſulatu fixi, & locaui, ſtatuíque o me non officij ſolùm fructum, ſed etiã pietatis dem debere quærere. Neque verò cuiquam ſalu- , ac fortunas ſuas tantæ curæ fuiſſe vnquam pu- quantæ mihi ſit honos eius, in quo omnia mea ita eſſe decreui. Epiſt. 5.

De ipſo T. Annio tantùm tibi polliceor, te ma- s animi, grauitatis, conſtantiæ, beneuolentiæ er- e, ſi complecti hominẽ volueris, habiturum eſſe inẽ. Mihi verò tantùm decoris, tantùm digni-

tatis adiunxeris, vt eundem te facilè agnoſcam fuiſſe in laude mea, qui fueris in ſalute. Epiſt. eadem.

Vnum hoc ſic habeto: ſi à te hanc rem impetraro, me penè plus tibi, quàm ipſi Miloni debiturum. Non enim mihi tam mea ſalus chara fuit, in qua præcipuè ſum ab illo adiutus, quàm pietas erit in referenda gratia iucunda. Eam autem tui poſſe vnius ſtudio me aſſequi, confido. Epiſt. eadem.

Ex libro tertio.

Omnia volo à me & poſtules, & expectes: vincam meis officiis cogitationes tuas. Epiſt. 10.

Pontinus, qui à te tractatus eſt præſtanti ac ſingulari fide, cuius tui beneficij ſum ego teſtis, præſtat tibi memoriam, beneuolentiámque quam debet: qui, cum maximis rebus ſuis coactus à me inuitiſſimè deceſſiſſet: tamen, vt vidit tua intereſſe, conſcendens iam nauē Epheſo, Laodicæam reuertit. Talia cùm te ſtudia videam habiturum eſſe innumerabilia, planè dubitare non poſſum, quin tibi amplitudini iſta ſolicitudo futura ſit. Epiſt. eadem.

Ex libro quarto.

Reliquum eſt igitur, vt tibi me in omni re eum præbeam præſtémque, vt ad omnia quæ tui velint, ita ſim præſto, vt me non ſolùm omnia debere tua cauſſa, quæ poſſim: ſed ea quoque, quæ non poſſim, putem. Illud tamen vel tu me monuiſſe, vel cenſuiſſe puta, vel propter beneuolentiam tacere non potuiſſe: vt, quod ego facio, tu quoque in animū inducas, ſi ſit aliqua reſpublica, in ea te eſſe oportere, iudicio hominum, réque principem, neceſſitate cedentem tempori: ſin autem nulla ſit, hunc tamen aptiſsimum eſſe etiam ad exulandum locum. Epiſt. 8.

De mea autem in te voluntate ſic velim iudices, me, quibuſcunque rebus opus eſſe intelligam, quanquàm

uàm videam, quis ſim hoc tempore, & quid poſſim: pera tamen, & conſilio, ſtudio quidem certè, rei, fa-
næ, ſaluti tuæ præſto futurum. Epiſt. 14.

Ex libro quinto.

Is enim tu vir es, & eum me eſſe cupio, vt quoniã eadem reipublicæ tempora incidimus, cõiunctio-
em, amicitiámque noſtram vtrique noſtrûm laudi erem fore. Quamobrem tu quantum tuo iudicio ibuendum nobis eſſe putes, ſtatues ipſe: &, vt ſpe-, ſtatues ex noſtra dignitate. Ego verò tibi profi-
or, atque polliceor eximium, & ſingulare meũ ſtu-
um in omni genere officij, quòd ad honeſtatem, & oriam tuam ſpectet. In quo, etiam ſi multi mecum ntendent, tamen cùm reliquis omnibus, tũ Craſſis is iudicibus, omnes facilè ſuperabo. Epiſt. 8.

Gratia tibi eſſe officia mea non miror: cognoui im te gratiſſimum omnium: ídque nunquam de-
iti prædicare: nec enim tu mihi gratiam modò ha-
iſti, verum etiam cumulatiſſimè retuliſti. Quam-
rem reliquis tuis rebus omnibus, pari me ſtudio ga te, & eadem voluntate cognoſces. Quòd mihi minam primariam Pompeiam vxorem tuam cõ-
ndas, cum Sura noſtro ſtatim tuis literis lectis lo-
tus ſum, vt ei meis verbis diceret, vt quicquid opus et, mihi denunciaret: me omnia, quæ ea vellet, nmo ſtudio, curáque facturum. Itaq; faciã, eámq;, pus eſſe videbitur, ipſe conueniam. Tu tamen ei lim ſcribas, vt nullam rem neque tam magnam, que tam paruam putet, quæ mihi aut difficilis, aut ùm me digna videatur. Omnia, quæ in tuis rebus m, & non laborioſa mihi, & honeſta videbuntur. iſt. 11.

Illud caue dubites, quin ego omnia faciam, quæ ereſſe tua, aut etiam velle te exiſtimē ſi vllo mo-

do facere poſſim. Epiſt. 20.

Ex libro ſexto.

Tu velim te, vt debes, & ſoles, tua virtute ſuſtentes. Ego quæ te velle, quæque ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia ſtudioſè, diligentérque curabo: quæ cum faciam, beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non aſſequar. Epiſt. 4.

Incolumem te citò, vt ſpero, vel potius, vt proſpicio, videbimus: interea tibi abſenti, & huic, qui adeſt, imagini animi, & corporis tui, conſtantiſſimo, atque optimo filio tuo ſtudium, officium, operá, laborem meum iampridem & pollicitus ſum, & detuli. Nunc hoc amplius, quòd me amiciſſimè quotidie magis Cæſar amplectitur: familiares quidem eius: ſicuti neminem. Apud quem quicquid valebo vel autoritate, vel gratia, valebo tibi. Epiſt. 6.

Quare mihi crede, & memoriæ mãda, me tibi id affirmaſſe, te in iſtis moleſtiis diutius non futurum: quando quid ſentirem expoſui. Quid vellem tua cauſſa re potius declarabo, quàm oratione. Etſi tantum poſſem, quantum in ea republica, de qua ita meritus ſum, vt tu exiſtimas, poſſe debebam: ne tu quidem in iſtis incõmodis eſſes. Eadem enim cauſſa, opes meas fregit, quæ tuam ſalutem in diſcrimen adduxit. Sed tamen quicquid imago veteris meæ dignitatis, quicquid reliquiæ gratiæ valebunt: ſtudium, conſilium, opera, gratia, fides mea nullo loco deerit tuis optimis fratribus. Epiſt. 13.

Ego quid poſſim neſcio: vel potius me parũ poſſe ſentio: illud tamen tibi polliceor, me quæcunque ſaluti, dignitatíque tuæ conducere arbitrabor tanto ſtudio eſſe facturum, quanto ſemper tu & ſtudio, & officio in meis rebus fuiſti. Hanc meã voluntatem, ad matrem tũam optimam fœminam tuíque amantiſſimam

ſſimam detuli. Si quid ad me ſcripſeris, ita faciam, t te velle intellexero. Sin tu minus ſcripſeris, ego tanen omnia, quæ tibi vtilia eſſe arbitrabor, ſummo udio, diligentiáque curabo. Epiſt. vltima.

Ex libro octauo.

Quare pro ſua cuiúſque natura, & inſtituto graæ ſunt agendæ, his, quòd tantùm voluntaté oſtenerunt: pro ſententia, cùm impedire poſſent, non ıgnarunt. Epiſt. 11.

Ex libro nono.

Ruſum iſtum amicum tuum, de quo iterum iam l me ſcribis, adiuuarem quantum poſſem, etiam ſi ɔ eo læſus eſſem, cùm te tantopere viderem eius uſſà laborare. Cùm verò & ex tuis literis, & illius l me miſſis intelligam, & iudicem, magnæ curæ ei lutem meam fuiſſe: non poſſum ei non amicus eſ: neque ſolùm tua commendatione, quæ apud me, debet, valet plurimum, ſed etiam voluntate, ac iucio meo. Epiſt. 24.

Ex libro decimo.

Tuæ dignitati ita fauemus, vt omne noſtrũ conium, ſtudium, officium, operam, laborem, diligenım, ad amplitudinem tuam conferamus. Ita facilnè & Reipublicæ quæ mihi chariſſima eſt, & amiiæ noſtræ, quam ſanctiſſimè nobis colendam pu, me intelligo ſatisfacturum. Epiſt. 1.

Si quid erit, in quo me intereſſe neceſſe ſit, nunam deero, ne cum periculo quidem meo, dignitati æ. In his autem rebus, quæ nihilò minus, vt ego ſim, confici poſſunt: peto à te vt rationem habere lis & ſalutis, & dignitatis meæ. Epiſt. 2.

Quare hoc vnum tibi perſuade: quantũ viribus iti, conſilio prouidere, autoritate monere potero, c omne reipublicæ ſemper futurum. Epiſt. 4.

Immortaleis ago tibi gratias, agámque dum viuam: nam relaturum, me affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officiis non videor mihi reſpondere poſſe: niſi fortè (vt tu grauiſſimè, diſertiſſiméque ſcripſiſti) ita ſenſurus es, vt me referre gratiam putes, cùm memoria tenebo. Epiſt. 11.

Quanquàm gratiarum actionem à te non deſiderabam, cùm te re ipſa, atque animo ſcirem eſſe gratiſſimum: tamen (fatendum eſt enim) fuit ea mihi periucunda. Sic enim vidi, quaſi ea quæ oculis cernũtur, me à te amari. Dices, quid antea? Semper quidem, ſed nunquam illuſtriùs. Epiſt. 19.

Facere non poſſum, quin in ſingulas res, meritáque tua, tibi gratias agam. Sed mehercule facio cum pudore. Neque enim tanta neceſſitudo, quantam tu mihi tecum eſſe voluiſti, deſiderare videtur gratiarũ actionem. Neque ego lubenter pro maximis tuis beneficiis tam vili munere defungor orationis: & malo præſens obſeruantia, indulgentia, aſſiduitate memorem me tibi probare. Quod ſi mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias, atque etiam pias propinquitates in tui obſeruantia, indulgentia, aſſiduitate vincam. Amor enim tuus, ac iudicium de me, vtrum mihi plus dignitatis in perpetuum, an voluptatis quotidie ſit allaturus, non facilè dixerim. Epiſt. 24.

Ex libro vndecimo.

Tuum eſt hoc munus, tuæ partes: à te hoc ciuitas, vel omnes potius gentes non expectant ſolùm, ſed etiam poſtulant. Quanquàm cùm hortatione non egeas, vt ſupra ſcripſi, non vtar ea pluribus verbis: faciam illud, quod meum eſt, vt tibi omnia mea officia, ſtudia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad tuam laudem & gloriam pertinebunt. Quamobrem velim tibi ita perſuadeas, me tum reipublicæ cauſſa,

quæ

æ mihi vita mea charior eſt, tum quòd tibi ipſi fa-
m, tuamque dignitatem amplificari velim, tuis
imis conſiliis, amplitudini, gloriæ, nullo loco de-
urum. Epiſt. 5.
Vltro ſe offerunt omnes: tantus ardor animos
minum occupauit deſiderio libertatis, odioque
tinæ ſeruitutis. Epiſt. 8.
Tantum me tibi debere exiſtimo, quantum per-
uere difficile eſt. Epiſt. 11.
Iam non ago tibi gratias. Cui enim re vix referre
ſum, huic verbis non patitur res ſatisfieri. Epiſt. 13.
Trebatio noſtro magnas gratias ago, quòd tuum
a me animum ſimplicem, atque amicum aperuit:
quòd eum, quem ſemper dilexi lubenter, quò ma-
iure colere, atque obſeruare deberem, fecit. Epi. 28.

Ex libro duodecimo.

Gratum etiam illud, quòd mihi tuo nomine gra-
agendas non putas: nec enim id inter nos facere
emus. Epiſt. 27.

Ex libro tertiodecimo.

Ego quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitra-
, ſummo ſtudio, diligentiaque curabo: in primiſ-
tuebor omni obſeruãtia chariſſimum virum pa-
n tuum: quod & pro vetuſtate neceſsitudinis, &
beneficiis veſtris, & pro dignitate ipſius facere
eo. Epiſt. 69.
Ego quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitra-
, omnia ſtudioſè, diligentérq; curabo. Epiſt. 70.

Ex libro quintodecimo.

Quæ cùm eſſem in conſilio meo cũ rege locutus,
io ille orationis ſuæ vobis maximas, vt debuit,
nde etiam mihi gratias egit: quòd ei permagnũ, &
honorificũ videbatur ſenatui, populóq; Romano
tæ curæ eſſe ſalutẽ ſuam: méq; tantã diligentiam

adhibere, vt & mea fides, & commendationis veſtræ autoritas perſpici poſſet. Epiſt. 2.

SENTENTIÆ, ET SCRIBENDI

formulæ commendaticiæ: cùm videlicet vel nos ipſos, vel alios, amico commendare volumus. *Cap.* 5.

Ex libro primo.

AVLO Trebonio, qui in tua prouincia magna negotia, & ampla, & expedita habet, multos annos vtor valdè familiariter. Is cùm antea ſemper & ſuo ſplendore, & noſtra, cæterorúmque amicorum commendatione gratiſſimus in prouincia fuit: tum hoc tempore propter tuũ in me amorẽ noſtrámque neceſſitudinem vehementer confidit, his meis literis ſe apud te gratioſum fore. Quæ ne ſpes eum fallat, vehemẽter te rogo: commendóque tibi eius omnia negotia, libertos, procuratores, familiam: imprimíſque, vt quæ T. Appius de eius re decreuit, ea comprobes: omnibúſque rebus eum ita tractes, vt intelligat noſtram commẽdationem non vulgarem fuiſſe. Epiſt. 3.

Ex libro ſecundo.

Marco Fabio viro optimo, & homine doctiſſimo familiariſſimè vtor: mirificéque eũ diligo, cùm propter ſummum ingenium eius, ſummámque doctrinam, tum propter ſingularem modeſtiam. Eius negotiũ ſic velim ſuſcipias, vt ſi eſſet res mea. Noui ego vos magnos patronos: hominẽ occidat oportet, qui veſtra opera vti velit. Sed in hoc homine nullã accipio excuſationẽ. Omnia relinques, ſi me amabis.

nabis, cùm tua opera Fabius vti volet. Ego res Ro-
anas vehementer expecto, & deſidero: in primíſq;
id agas, ſcire cupio: nam iamdiu propter hyemis
ignitudinem, nihil noui ad nos afferebatur.
iſt. 13.

Extremũ illud erit: nos nihil turbulenter, nihil
nerè faciemus. Te tamen oramus, quibuſcunque
mus in terris, vt nos, liberóſque noſtros ita tueare,
amicitia noſtra, & tua fides poſtulabit. Epiſt. 15.

Nam quòd ad me Curius conſobrinus tuus mihi
ſcis) maximè neceſſarius: quòd item C. Virginius
pinquus tuus, familiariſſimus noſter de te accu-
ſſimè ſcripſit, valet id quidem apud me multùm:
iti debet hominum amiciſſimorum diligens cõ-
ndatio: ſed tuæ literæ de tua præſertim dignitate,
de noſtra coniunctione, maximi ſunt apud me
nderis. Epiſt. vltima.

Ex libro tertio.

Lentulum Valerium Iuriſconſultũ valde tibi cõ-
ndo, ſed ita etiam, ſi non eſt Iuriſconſultus. Me-
enim ei cauere volo, quàm ipſe aliis ſolet. Valde
ninem diligo. Eſt ex meis domeſticis, atque inti-
familiaribus. Omnino tibi agit gratias: ſed idem
bit, meas literas maximũ apud te pondus habi-
s. Id eum ne fallat, te etiam atque etiam rogo.
t. 1.

Ex libro quinto.

Etſi ſtatueram nullas ad te literas mittere, niſi
endaticias, non quòd eas intelligerẽ, ſatis apud
lere: ſed ne iis, qui me rogarent, aliquid de no-
coniunctione imminutum eſſe oſtenderem: ta-
cùm T. Pomponius, homo omnium meorum
ſtudiorum & officiorum maximè conſcius, tui
lus, noſtri amantiſſimus, ad te proficiſceretur,

aliquid mihi ſcribendum putaui: præſertim cùm aliter ipſi Pomponio ſatisfacere non poſſem. Ego ſi abs te ſumma officia deſiderem, mirum nemini videri debet: omnia enim à me in te profecta ſunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent. Pro iis omnibus nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam, tu es optimus teſtis. Ipſum autem Pomponium ita tibi commendo, vt quãquam ipſius cauſſa confido te facturum eſſe omnia: tamen abs te hoc petam, vt ſi quid reſidet in te amoris erga me, id omne in Pomponij negotio oſtendas. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Epiſt. 5.

Si tuam conſuetudinem in patrociniis tuẽdis ſeruas, P. Vatinius cliens ad te venit, qui pro ſe cauſſam dicier vult. Non puto repudiabis in honore, quem in periculo recepiſti. Ego autẽ quem potius adoptẽ, aut inuocem, quàm illum, quo defendente vincere didici? An verear, ne qui potentiſsimorum hominũ conſpirationem neglexerit pro mea ſalute, is pro honore meo, puſillorum, ac maleuolorum obtrectationes, & inuidias non proſternat, atque obterat? Quare ſi me, ſicut ſoles, amas, ſuſcipe me totum, atq; hoc quicquid eſt oneris, ac muneris pro mea dignitate tibi tuendum, ac ſuſtinendum puta. Epiſt. 9.

Ex libro ſexto.

Nihil eſt mi Cicero, quòd filium meum expectes: adoleſcens eſt: omnia excogitare vel ſtudio, vel ætate, vel metu non poteſt. Totum negotium tu ſuſtineas oportet: in te mihi omnis ſpes eſt: tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæſar, tenes. Ad te omnia proficiſcantur, & per te ad exitum perducantur, neceſſe eſt. Apud ipſum multum, apud eius omnes plurimum potes: vnum ſi tibi perſuaſeris, non hoc eſſe tui muneris, ſi quid rogatus

fueris, vt facias (quanquam id magnum, & amplum eſt) ſed totum tuũ eſſe: omne onus perficies: niſi fortè aut in miſeria nimis ſtultè, aut in amicitia nimis impudenter tibi onus impono. Sed vtrique rei excuſationem, tuæ vitæ conſuetudo dat. Nam quòd ita cõſueuiſti pro amicis laborare, non iam ſic ſperant abs te, ſed etiam ſic imperant tibi familiares. Epiſt. 7.

Ex libro ſeptimo.

Mitto ad te Trebatium, atque ita mitto, vt initio mea ſponte, pòſt autem inuitatu tuo mittendum duxerim. Hunc mi Cæſar ſic velim omni tua comitate complectare, vt omnia quæ per me poſsis adduci, vt in meos conferre velis, in vnum hunc conferas: de quo tibi homine hæc ſpondeo, non illo vetere verbo meo, quod cũ ad te de Milone ſcripſiſſem, iure luſiſti: ſed more Romano, quomodo homines nõ inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum, prudentiorem eſſe neminem. Accedit etiam, quod familiaritatem inducit, in iure ciuili ſingularis memoria, ſumma ſcientia. Huic ego neque tribunatũ, neque præfecturam, neque vllius beneficij certum nomen peto: beneuolentiam tuam, & liberalitatem peto: neque impedio, quo minus, ſi tibi ita placuerit, etiam hiſce eum ornes gloriolæ inſignibus. Totum denique hominẽ tibi trado de manu (vt aiunt) in manũ tuam ...m & victoria, & fide præſtantem. Sumus enim ...idiuſculi, quàm per te vix licet: verùm, vt video, ...bit. Epiſt. 5.

In omnibus meis epiſtolis, quas ad Cæſarem, aut Balbum mitto, legitima quædam eſt acceſsio cõ...ationis tuæ, nec ea vulgaris, ſed cum aliquo in... iudicio meæ erga te beneuolentiæ. Epiſt. 6.

...o te cõmendare non deſiſto, ſed quid proficiã, ſcire cupio. Spem maximã habeo in Balbo, ad

qué de te diligentiſſimè, & ſæpiſſimè ſcribo. Epiſt. 7.

Ex libro decimo.

Furnium noſtrum tanti à te fieri, quantum ipſius humanitas, & dignitas poſtulat, nec miror, & gaudeo: téque hoc exiſtimare volo, quicquid in eum iudicij, officiíque contuleris: id ita me accipere, vt in meipſum te putem contuliſſe. Epiſt. 1.

Ex libro vndecimo.

Quod mihi tuam dignitatem cõmendas, eodem tempore exiſtimo te mihi meam dignitatem commendare: quam mehercule non habeo tua chariorẽ. Quare mihi gratiſſimum facies, ſi exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec conſilium, nec ſtudium meum defuturum. Epiſt. 6.

Cum Appio Claudio ſumma mihi neceſſitudo eſt, multis eius officiis, & meis mutuis conſtituta. Peto à te maiorẽ in modum, vel humanitatis tuæ, vel mea cauſſa, vt eum autoritate tua, quæ plurimũ valet, conſeruatum velis. Volo te, cùm fortiſſimus vir cognitus ſis, etiam clementiſſimum exiſtimari. Magno tibi erit ornamento, nobiliſſimum adoleſcentem beneficio tuo eſſe ſaluum. Cuius quidem cauſſa hoc melior eſſe debet, quòd pietate adductus propter patris reſtitutionem, me cum Antonio coniunxit. Quare, & ſi minus veram cauſſam habebis, tamen vel probabilem aliquam poteris inducere. Nutus tuus poteſt hominem ſummo loco natum, ſummo ingenio, ſumma virtute, officioſiſſimum præterea, & grauiſſimum, incolumem in ciuitate retinere. Quod vt facias, ita à te peto, vt maiore ſtudio, magíſue ex animo petere non poſſim. Epiſt. 22.

Ex libro duodecimo.

T. Pinatium familiariſſimum meum, tanto tibi ſtudio commendo, vt maiore non poſſim. Cui cùm

propter

pter omnes virtutes, tum etiam propter ſtudia
mmunia ſum amiciſſimus. Is procurat rationes,
otiáque Dionyſij noſtri, quem & tu multum a-
& ego omnium plurimum. Ea tibi ego non de-
commendare: ſed cõmendo tamen. Facies igi-
vt ex Pinarij gratiſſimi hominis literis tuum &
illum, & erga Dionyſium ſtudiũ perſpiciamus.
ſt. 25.

Qu. Curius, qui in Africa negotiatus eſt, vir bo-
,& honeſtus, hæredes fecit ſimiles ſui Cn. Satur-
m, Sext. Aufidiũ. Cn. Anneum, Qu. Confidium:
eorum oratione intellexi gratiarum actione eos
gis egere, quàm commendatione. Tanta enim li-
alitate ſe tua vſos prædicabant, vt iis plus à te tri-
um intelligerem, quàm ego auderem te rogare:
lebo tamen: ſcio enim quantũ ponderis mea cõ-
ndatio ſit habitura. Quare à te peto, vt ad eam li-
alitatem, qua ſine meis literis vſus es, quàm ma-
nus his literis cumulus accedat. Epiſt. 26.

Te mi Cornifici, etiam atque etiam rogo, vt om-
Lamiæ negotia, mea putes eſſe: curéſq; vt intel-
at hanc cõmendationem maximo ſibi vſui fuiſſe.
c mihi gratius facere nihil potes. Epiſt. 29.

Ex libro tertiodecimo.

Aulum Fuſium vnum ex meis intimis, obſeruan-
imum, ſtudioſiſsimúmque noſtri, eruditum ho-
nem, & ſumma humanitate, tuáque amicitia di-
iſsimũ, velim ita tractes: vt mihi coràm recepiſti.
m mihi gratum id erit, quàm quòd gratiſsimum.
um præterea ſummo ſtudio, & ſumma obſeruan-
tibi in perpetuum deuinxeris. Epiſt. 3.

Cum municipibus Volaterranis mihi ſumma ne-
ſitudo eſt: magno enim meo beneficio affecti,
mulatiſsimè mihi gratiam retulerunt. Nam nec in

honoribus meis, laboribúſque vnquam defuerunt. Cum quibus, ſi mihi nulla cauſſa intercederet, tamen quòd te vehemétiſsimè diligo, quódque me à te plurimi fieri ſentio, & monerem te, & hortarer, vt eorũ fortunis conſuleres: præſertim cùm propè præcipuã cauſſam haberent ad ius obtinendum. Illud verò dubitare non debes, quin tam graue, tam firmum, tam honeſtum municipium tibi tuo ſummo beneficio in perpetuum obligare liceat. Epiſt. 4.

Gratiſsimum igitur mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros, incolumesque eſſe volueris. Eorum ego domicilia, ſedes, rem, fortunas, quæ à diis immortalibus, & præſtantiſsimis in noſtra Republica ciuibus ſummo ſenatus, populíque Romani ſtudio conſeruatæ ſunt, tuæ fidei, iuſtitiæ, bonitatíq; commendo. Si pro meis priſtinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, vt ita defendere poſſem Volaterranos, quemadmodum conſueui tueri meos, nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodeſſe poſſem; prætermitterem. Sed quando apud te nihilò minus hoc tempore valere me confido, quàm valuerim ſemper apud omnes, pro noſtra ſumma neceſsitudine, paríque inter nos, & mutua beneuolentia abs te peto, vt ita de Volaterranis mereare, vt exiſtiment eum, quaſi diuino conſilio iſti negotio præpoſitum eſſe, apud quem vnum nos eorum perpetui defenſores plurimum valere poſſemus. Epiſt. eadem.

Sed mihi minus libet multa de æquitate rei ſcribere, ne cauſſa potius apud te valuiſſe videat, quàm gratia. Quamobrem te maiorem in modum rogo, vt C. Curtij rem, meã putes eſſe, quicquid mea cauſſa faceres, vt id C. Curtij cauſſa cùm feceris, meum exiſtimes. Quod ille per me habuerit, ita me habere

abs

bs te putato. Hoc te vehementer etiam atque etiam
ogo. Epiſt. 5.

Peto à te maiorem in modum, pro noſtra neceſſi-
idine,vt ea res tibi curæ ſit,operámque des,vt per te
uàm commodiſſimè negotium municipij admini-
retur, quamprimúmque conficiatur: ipſóſque quo-
im nomina ſcripſi, vt quàm honorificentiſſimè pro
ia natura, & quàm liberaliſsimè tractes. Bonos vi-
os ad tuá neceſsitudinem adiunxeris: municipiúmq;
ratiſsimum beneficio tuo deuinxeris. Epiſt. 12.

Ea enim eſt Marcus Curius humanitate, & obſer-
antia, vt eum tibi iam ipſum per ſe commendatum
item. Quod tamen ſi ita eſt, magnopere à te quæſo,
t ad eam voluntatem, ſi quam in illum ante has
eas literas contuliſti, quàm maximus commenda-
one poſtea cumulus accedat. Sin propter verecun-
iam ſuam minus ſe tibi obtulit: aut eum modum
ibes ſatis cognitum: aut quæ cauſſa eſt, cur maioris
mmendationis indigeat, ſic tibi eum commendo,
neque maiore ſtudio quenquam, neque iuſtiori-
is de cauſsis commendare poſsim. Faciámque id,
iod debent facere ij, qui religioſè, & ſine ambitione
mmendant. Spondebo enim tibi, vel potius ſpon-
o, in méque recipio, eos eſſe M. Curij mores, eám-
e tum probitatem, tum etiam humanitatem, vt
m, & amicitia tua, & tam accurata commendatio-
, ſi tibi ſit cognitus, dignum ſis exiſtimaturus. Mihi
rtè gratiſsimum feceris, ſi intellexero has literas
ntum quantum ſcribens confidebam, apud te pon-
s habuiſſe. Epiſt. 18.

Cum Lyſone Patrenſi eſt mihi quidem hoſpitium
tus, quam ego neceſsitudinem ſanctè colendã pu-
: ſed ea cauſſa etiam aliis compluribus: familiaritas
ıta nullo cum hoſpite, & ea cùm officiis eius mul-

tis,tum etiam conſuetudine quotidiana ſic eſt aucta, vt nihil ſit familiaritate noſtra coniunctius. Hunc igitur Lyſonem; quem ego virum optimum, gratiſſimúmque cognoui, recipias in neceſſitudiné tuam. Quod ſi feceris, non dubito quin poſteà in eo diligendo, cæteríſque commendando, idem quod ego, ſis iudicij, & voluntatis habiturus. Quod cùm fieri vehementer ſtudeo, tum etiam illud vereor,ne ſi minus cumulatè videberis feciſſe aliquid eius cauſſa, me ille negligenter ſcripſiſſe de ſe putet,non te oblitũ mei. Quanti enim me feceris, cùm ex ſermonibus quotidianis meis; tum ex epiſtolis etiam tuis potuit cognoſcere. Epiſt. 20.

Aſclapone Patrenſi medico vtor valdè familiariter: eiúſque tum conſuetudo mihi iucunda fuit,tum etiam ars, quam ſum expertus in valetudine meorũ. In qua mihi tum ipſa ſcientia, tum etiam fidelitate, beneuolentiáque ſatisfecit. Hunc igitur tibi cõmendo, & à te peto,vt des operã, vt intelligat diligenter me ſcripſiſſe de ſeſe, meámque commendationem vſui magno ſibi fuiſſe. Erit id mihi vehementer gratum. Epiſt. 21.

Cùm anteà capiebam ex officio meo voluptaté, quòd meminerim quàm tibi diligenter Lyſoné hoſpitem, & familiarem meum commendaſſem: tum verò poſteà, quàm ex literis eius cognoui,tibi eũ falſò ſuſpectum fuiſſe, vehementiſſimè lætatus ſum,me tam diligentem in eo cõmendando fuiſſe. Ita enim ſcripſit ad me, ſibi meam commendationem maximo adiumento fuiſſe: & omnia mihi tua,& facta,& dicta laudabat. Quapropter & ſi à te ita tractatur, vt iam non deſideret commendationé meam, íſque ſe literis meis omnia conſecutum putet: tamen à te peto maiorem in modum, vt eum etiã, atque etiam

tuis

tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir eſſet, vt ſuperioribus literis feceram, niſi cum iam per ſeipſum ſatis tibi eſſe notum arbitrarer. Epiſt. 25.

Te mi Plance, pro paterna neceſſitudine, pro noſtro amore, pro ſtudiis, & omni curſu noſtro totius vitæ ſimillimo, rogo, & a te ita peto, vt maiore cura, maiore ſtudio nullo poſſim: vt hanc rem ſuſcipias, meam putes: enitare, contendas, efficias, vt mea cõmendatione, tuo ſtudio, Cæſaris beneficio hæreditatem propinqui ſui C. Capito obtineat. Epiſt. 30.

Caio Flauio honeſto, & ornato equite Romano vtor valdè familiariter. Fuit enim generi mei C. Piſonis perneceſſarius: méque diligentiſſimè obſeruat & ipſe, & L. Flauius frater eius. Quapropter velim honoris mei cauſſa, quibus rebus honeſtè, & pro tua dignitate poteris, quàm honorificentiſsimè, & quàm liberaliſsimè Caium Flauium tractes. Id mihi ſic erit gratum, vt gratius eſſe nihil poſsit. Sed prætereà tibi affirmo, neq; id ambitione adductus facio, ſed tum familiaritate, & neceſsitudine, tum etiam veritate: te ex Caij Flauij officio, & obſeruãtia, & prætereà ſplẽdore, atque inter ſuos gratia, magnam voluptatẽ eſſe capturum. Epiſt. 32.

In Haleſina ciuitate tàm lauta, quàm nobili, cõiunctiſſimos habeo & hoſpitio, & familiaritate M. & Claudium Archagatum, & Philoné: ſed vereor, ne quia complures tibi præcipuè commendo, exæquare videar ambitione quadam commendationes meas: quanquam à te quidem cumulatè ſatisfit, & mihi, & meis omnibus. Sed velim ſic exiſtimes, hanc familiã, & hos mihi maximè eſſe coniunctos vetuſtate, officiis, beneuolentia. Quamobrem peto à te maiorem in modum, vt his omnibus in rebus quan-

tum tua dignitas, fidéſque patietur, commodes. Id ſi feceris, erit mihi vehementiſſimè gratum. Epiſt. 33.

Gneo Octacilio Naſone vtor familiariſſimè, ita prorſus, vt illius ordinis nullo familiarius. Nam & humanitate eius, & probitate in conſuetudine quotidiana magnoperè delector. Nihil iam opus eſt expectare te, quibus verbis eum tibi commendem, quo ſic vtor, vt ſcripſi. Habet is in prouincia tua, negotia quæ procurant liberti Hilarius, Antigonus, Demoſtratus: quos tibi, negotiáque omnia Naſonis non ſecus commendo, ac ſi mea eſſent. Gratiſſimum mihi feceris, ſi intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuiſſe. Epiſt. 34.

Auitum mihi hoſpitium eſt cum Lyſone Lyſonis filio Lilybitani, valdéque ab eo obſeruor, cognouique dignum & patre & auo. Eſt enim nobiliſſima familia. Quapropter commendo tibi maiorem in modum rem, domúmque eius. Magnóque opere à te peto, cures, vt is intelligat meam commendationem maximo ſibi apud te & adiumento, & ornamento fuiſſe. Epiſt. 35.

Lucium, & Caium Aurelios Lucij filios, quibus & ipſis, & patre eorum viro optimo familiariſſimè vtor, cõmendo tibi maiorem in modum, adoleſcentes omnibus optimis artibus ornatos, meos perneceſſarios, tua amicitia digniſſimos. Si vlla mea apud te commendatio valuit, quod ſcio multas plurimum valuiſſe: hæc vt valeat rogo. Quod ſi eos honorificè, liberalitérque tractaris: & tibi gratiſſimos, optimóſque adoleſcentes adiunxeris, & mihi gratiſſimum feceris. Epiſt. 41.

Etſi ex tuis, & ex Lucij Oppij familiariſſimi mei literis cognoui, te memorem cõmendationis meæ fuiſſe, idq; pro tua ſumma erga me beneuolentia, próque noſtra

noſtra neceſſitudine minimè ſum admiratus, tamen etiam atque etiam tibi Lucium Oppium præſentem, Lucij Egnatij meì familiariſſimi abſentis negotia cõmendo. Tanta mihi cum eo neceſſitudo eſt, familiaritáſque, vt ſi mea res eſſet, non magis laborarẽ. Quapropter mihi gratiſſimum feceris, ſi curaris, vt is intelligat me à te tantum amari, quantum ipſum exiſtimo. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Idque vt facias, vehementer te rogo. Epiſt. 45.

Quid ego tibi cõmendem eum, quem tu ipſe diligis? Sed tamen vt ſcires eum non à me diligi ſolùm, verum etiam amari, ob eam rem tibi hæc ſcribo. Omnium tuorum officiorum, quæ & multa, & magna ſunt, gratiſſimum mihi fuerit, ſi ita tractaris Egnatiũ, vt ſentiat & ſe à me, & me à te amari. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Epiſt. 48.

Sumpſi hoc mihi pro tua in me obſeruantia, quã penitus perſpexi, quandiu Brunduſij fuimus, vt ad te familiariter, & quaſi pro meo iure ſciberem, ſi qua res eſſet, de qua valdè laborarem. M. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris eſt, vt nihil poſſit eſſe coniunctius. Multa illius in me officia: multa in illum mea quoque: & quod maximum eſt, ſummus inter nos amor, & mutuus. Quæ cùm ita ſint, ſi vllam in amicitia mea ſpem habes, ſi ea, quæ in me officia, & ſtudia Brunduſij contuliſti, vis mihi etiam gratiora efficere, quanquam ſunt gratiſſima: ſi me à tuis omnibus amari vides, hoc mihi da, atque largire, vt M. Curium ſartum & tectum (vt aiunt) ab omni incommodo, detrimento, moleſtia ſyncerum, integrúmque conſerues. Et ipſe ſpondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia, & ex tuo in me officio maximum te fructum, ſummámque voluptatem capturum. Epiſt. 51.

Publium Meſſenium equitem Romanum, omnibus rebus ornatum, meúmque perfamiliarem tibi commendo ea commendatione, quæ poteſt eſſe diligentiſſima. Peto à te & pro noſtra, & pro paterna amicitia, vt eum in tuam fidem recipias, eiúſque rem famámque tueare. Virum bonum, tuáque amicitia dignum tibi adiunxeris, mihíque gratiſſimum feceris. Epiſt. 52.

Lucius Cuſtidius eſt tribulis, & municeps, & familiaris meus. Is cauſſam habet, quam cauſſam ad te defert. Commendo tibi hominem, ſicuti tua fides, & meus pudor poſtulat: tantum vt facilius aditus ad te habeat: quæ poſtulabit æqua, vt iubente te impetret: ſentiátque meam ſibi amicitiam, etiã cùm longiſſimè abſim, prodeſſe in primis apud te. Epiſt. 59.

Multos tibi cõmendem neceſſe eſt, quando omnibus nota noſtra neceſſitudo eſt, tuáque in me beneuolentia. Sed tametſi omnium cauſſa, quos commendo, velle debeo: tamen cum omnibus non eadem mihi cauſſa eſt. Titus Auguſtus & comes meus fuit illo miſerrimo tempore, & omnium itinerum, nauigationum, laborum, periculorum meorum ſocius. Neque hoc tempore diſceſſiſſet à me, niſi ego ei permiſiſſem. Quare ſic eum tibi cõmendo, vt vnum de meis domeſticis, & maximè neceſſariis. Pergratum mihi feceris, ſi eum ſic tractâris, vt intelligat hanc commendationem ſibi magno vſui atque adiumento fuiſſe. Epiſt. 72.

Etſi non dubito, quin apud te mea cõmendatio prima ſatis valeat, tamen obſequor homini familiariſſimo C. Auiano Flacco, cuius cauſſa omnia tum cupio, tum mehercule etiam debeo. De quo & præſens tecum egi diligenter, cum tu mihi humaniſſimè reſpondiſti, & ſcripſi ad te accuratè anteà: ſed

putat

putat intereſſe ſua, me ad te quàm ſæpiſſimè ſcribere. Quare velim mihi ignoſcas, ſi illius voluntati obtemperans, minus videbor meminiſſe conſtantiæ tuæ. A te idem illud peto, vt de loco, quò deportet frumentum, & de tempore, Auiano commodes, quorum vtrumque per eundem me obtinuit triennium, dum Pompeius iſti negotio præfuit. Summa eſt, in quo mihi gratiſſimum facere poſſis, ſi curaris, vt Auianus, quandò ſe à me amari putat, me à ſe amari ſciat. Erit id mihi pergratum. Epiſt. 76.

SENTENTIÆ, SEV SCRIBENDI *formulæ, quas vſurpare conſueuimus, quum aliquem vt ad nos veniat inuitamus. & cùm ipſe ſe in hac, vel quacunque alia re excuſat.* Cap. 6.

Ex libro primo.

CVR enim tibi hoc non gratificer, neſcio: præſertim cum his temporibus audacia pro ſapiẽtia liceat vti. Lentulo noſtro egi per literas tuo nomine gratias diligenter. Sed tu velim deſinas iam noſtris literis vti, & nos aliquando reuiſas: & ibi malis eſſe, vbi aliquo numero ſis, quàm iſtic, vbi ſolus ſapere videare. Quanquam qui iſtinc nunc veniunt, partim te ſuperbum eſſe dicunt, quòd nihil reſpondeas: partim contumelioſum, quòd malè reſpondeas. ſed iam cupio coram tecum iocari. Quare fac vt quamprimùm venias, neque in Apuliam tuam accedas, vt poſſimus ſaluũ te veniſſe gaudere. Nam illò ſi veneris, tanquam Vlyſſes cognoſces tuorum neminem. Epiſt. vltima.

Ex libro quarto.

Etſi nihil noui, quod ad te ſcriberem, habebã: magiſque literas tuas iam expectare incipiebam, vel te potius ipſum: tamen cùm Theophilus proficiſceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur, vt quamprimùm venias: venies enim, mihi crede, expectatus, neque ſolùm nobis, id eſt tuis, ſed prorſus omnibus. Venit enim mihi in mentem, ſubuereri interdum, ne te delectet tarda deceſsio. Quòd ſi nullum haberes ſenſum, nihil oculorum, prorſus tibi ignoſcerem, ſi quoſdam nolles videre: ſed cum leuiora non multò eſſent, quæ audirentur, quàm quæ viderentur: ſuſpicarer autem multum intereſſe rei familiaris tuæ, te quamprimùm venire, atque in omnes partes valere: putaui ea de re te eſſe admonendum. Sed quoniam, quod mihi placeret, oſtendi, reliqua tu pro tua prudentia conſiderabis. Me tamen velim, quod ad tempus te expectemus, certiorem facias. Epiſt. 10.

Ex libro quinto.

Gratæ mihi tuæ literæ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam ſine literis arbitrabar, videndi mei te ſumma cupiditate affectũ eſſe: quod ego ita libenter accipio, vt tamen tibi non concedã: nam tecum eſſe, ita mihi communia omnia, quæ opto, contingant, vt vehementer velim. Vt enim cùm eſſet maior & virorum, & ciuium bonorum, & iucundorum hominũ, & amantium mei copia: tamen erat nemo, qui cum eſſem libentius, quàm tecum, & pauci, quibuſcum eſſem æquè libenter: hoc verò tempore, cùm alij interierint, alij abſint, alij mutati voluntate ſint, vnum mediusfidius tecum diem libentius poſuerim, quàm hoc omne tempus cum pleriſque eorum, quibuſcum viuo neceſſariò. Epiſt. vltima.

Ex libro ſeptimo.

Scire enim cupio quid agas, quid expectes, quàm longum iſtum tuũ diſceſſum à nobis futurum pures. Sic enim tibi perſuadeas velim, vnum mihi eſſe ſolatiũ, quare facilius poſsim pati te eſſe ſine nobis, ſi tibi id eſſe emolumento ſciam: ſin autem id non eſt, nihil duobus nobis eſt ſtultius: me, qui te non Romam attraham: te, qui non huc aduoles. Vna mehercule noſtra vel ſeuera, vel iocoſa cõgreſsio pluris erit, q̃ non modò hoſtes, ſed etiã fratres noſtri Hedui. Epiſt. 10.

Ego ſi mei commodi rationem ducerem, te mecũ eſſe maximè vellem. Non enim mediocri afficiebar vel voluptate ex conſuetudine noſtra, vel vtilitate ex conſilio, atque opera tua. Sed cùm te, & adoleſcentiam tuam in amicitiam, & fidem meam contuliſſes, ſemper te non modò tuendum mihi, ſed etiam augendum, atque ornandum putaui. Epiſt. 17.

Ego verò iam te nec hortor, nec rogo, vt domum redeas: quin hinc ipſe euolare cupio, & aliquò peruenire, vbi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Incredibile eſt, quàm turpiter mihi facere videar, qui his rebus interſim. Næ tu viderîs multò antè prouidiſſe, quid impendêret tum, cùm hinc profugiſti, quanquàm hæc etiam auditu acerba ſunt, tamen audire tolerabilius eſt, quàm videre. Epiſt. 31.

Sed tamen omnia mihi erunt, ſi tu veneris, hilariora: quanquàm venies, vt ipſe intelligis, in maximatũ quaſi concurſum occupationum: quas ſi, vt volumus exceperimus, ego verò multam ſalutem, & foro dicam, & curiæ: viuámque tecum multum, & cum communibus noſtris autoribus. Epiſt. vltima.

Ex libro decimo.

Fratrem meum tibi, fortiſſimum ciuem, & ad omnia paratiſsimum excuſo literis, qui ex labore in

febriculam incidit aſſiduam, & ſatis moleſtam. Cum primum poterit iſtuc recurrere, non dubitabit, ne quo loco Reipublicæ deſit. Epiſt. 21.

Ex libro decimo quarto.

Quòd nos in Italiã ſaluos veniſſe gaudes, perpetuò gaudeas velim. Sed perturbati dolore animi, magníſq; iniuriis, metuo ne id conſilij cepetimus, quod non facilè explicare poſſumus. Quare quantũ potes, adiuua. Quid autem poſſis, mihi in mentem non venit. In viam quòd te des hoc tempore, nihil eſt: longum eſt iter, & non tutum, & non video, quid prodeſſe poſſis, ſi veneris. Epiſt. 12.

Ex libro ſexto decimo.

Cura igitur te, & confirma: & cùm cõmodè, & per valetudinem, & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantiſſimos tui veni. Nemo nos amat, qui te non diligat. Charus omnibus, expectatúſque venies. Epiſt. 2.

Quia tua voluntas ea videbatur eſſe, vt prorſus niſi confirmato corpore nolles nauigare, approbaui tuum conſilium: neque nunc muto, ſi tu in eadem es ſententia. Sin poſtea, quàm cibum cepiſti, videris tibi non poſſe conſequi, tuum conſilium eſt. Marionem ad te eò miſi, vt aut tecũ ad me quam primùm veniret: aut ſi tu morarêre, ſtatim ad me rediret. Tu autem hoc tibi perſuade, ſi commodo valetudinis tuæ fieri poſſit, nihil me malle, quàm te eſſe mecum. Sin intelliges opus eſſe te Patris conualeſcendi cauſſa paulùm cõmorari, nihil me malle, quàm te valere. Si ſtatim nauigas, nos Leucade conſequêre: ſin te cõfirmare vis, & comites, & tempeſtates, & nauẽ idoneam vt habeas, diligenter videbis. Epiſt. 3.

Nõ queo ad te, nec lubet ſcribere, quo animo ſim affectus: tantùm ſcribo, & tibi, & mihi maximæ voluptati

luptati fore, ſi te firmum quamprimùm videro. Tertio die abs te ad Aliziam acceſſeramus: locus eſt citra Leucadem ſtadia centum viginti. Leucade, aut teipſum, aut tuas literas à Marione putabam me accepturum. Quantum me diligis, tantum fac vt valeas, vel quantum te à me ſcis diligi. Epiſt. 4.

Nos apud Aliziam, ex quo loco tibi literas antè dederamus, vnum diem commorati ſumus, quòd Qu. nos conſecutus non erat. Is dies fuerat Nonis Nouemb. Inde ante lucem proficiſcentes, ante diem VIII. Idus Nouemb. has literas dedimus. Tu ſi nos omnes amas, & præcipuè me magiſtrum tuum, confirma te. Ego valdè ſuſpenſo animo expecto, te primùm ſcilicet, deinde Marionem cum tuis literis. Omnes cupimus, ego in primis, quamprimùm te videre, ſed mi Tyro, valentem. Quare, nihil properaris: ſatis quotidie videro, ſi valebis. Vtilitatibus tuis poſſum carere: te valere tua cauſſa primùm volo, tum mea, mi Tyro. Epiſt. 5.

Effice, ſi me diligis, vt valeas, & vt ad nos firmus ac valens quamprimùm venias. Epiſt. 8.

Etſi opportunitatem operæ tuæ omnibus locis deſidero, tamen non tam mea, quàm tua cauſſa doleo, te non valere. Sed quando in quartanam conuerſa vis eſt morbi, (ſic enim ſcribit Curius) ſpero te diligentia adhibita, etiam firmiorem fore. Modò fac id, quod humanitatis tuæ eſt, ne quid aliud cures hoc tempore, niſi vt quàm commodiſſimè conualeſcas. Non ignoro, quantum ex deſiderio labores: ſed erunt omnia facilia, ſi valebis. Feſtinare te nolo, ne nauſeæ moleſtiam ſuſcipias æger, & periculoſè hyeme nauiges. Epiſt. 10.

Tu, quando eo tempore mecum eſſe non potuiſti, quo ego maximè operam, & fidelitatem deſideraui ...

tuam: caue feſtines, aut committas, vt aut æger, aut hyeme nauiges. Nunquàm ego te ſerò veniſſe putabo, ſi ſaluus veneris. Epiſt. 11.

Ego verò cupio te ad me venire: ſed viam timeo: grauiſſimè ægrotaſti: inedia, & purgationibus, & vi ipſius morbi conſumptus es. Graues ſolent offenſiones eſſe ex grauibus morbis, ſi qua culpa commiſſa eſt. Epiſt. 12.

Andricus poſtridie ad me venit, quàm expectarem. Itaque habui noctem plenam timoribus, ac miſeriis. Tuis literis nihilo ſum factus certior, quo modo te haberes: ſed tamen ſum recreatus. Ego omni delectatione, literíſque omnibus careo: quas antè quàm te videro, attingerè non poſſum. Epiſt. 14.

Conſerua te mihi: dies promiſſorum adeſt: quem etiam repræſentabo, ſi adueneris. Epiſt. eadem. Omnia à te data mihi putabo, ſi te valentem videro. Summa cura expectabam aduentum Menandri, quē ad te miſeram. Cura, ſi me diligis, vt valeas, & cum te benè firmaris, ad nos venias. Epiſt. 15.

Expecto tuas literas de multis rebus: teipſum multò magis. Demetrium redde noſtrum, & aliud, ſi quid potes, boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor: ſcio tibi curæ eſſe: ſed confice. Et ſi ob eam rem moraris, accipio cauſſam: ſi te id non tenet, aduola. Literas tuas valdè expecto. Epiſt. 19.

SEN-

SENTENTIÆ, SEV SCRIBENDI *formulæ, ad commendationem virtutum, bonorum, ſcientiæ, & artium alicuius ſpectantes: & quas accommodamus, quum ob ea ipſa quempiam collaudare, vel ad ea inducere volumus. Cap. 7.*

Ex libro primo.

MIhi quidem humanitas tua, vel ſumma potius ſapientia non iucunda ſolùm, ſed etiam admirabilis viſa eſt. Epiſt. 7.

Te verò moneo cùm beneficiis tuis, tum amore incitatus meo, vt omnem gloriã, ad quam à pueritia inflammatus fuiſti, omni cura, atque induſtria conſequare, magnitudinémque animi tui, quã ego ſemper ſum admiratus, ſempérque amaui, ne vnquam inflectas cuiuſque iniuria. Magna eſt hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria conſulatus tui. Epiſt. eadem.

Vt hæc multò antè meditère, huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas, ſentiáſque id, quod quia ſemper ſperaſti, non dubito quin adeptus, intelligas te facillimè poſſe obtinere, ſummum atque altiſſimum gradum ciuitatis. Quæ quidem mea cohortatio, ne tibi inanis, aut ſine cauſſa ſuſcepta videatur, illa me ratio mouet, vt te ex noſtris euentis communibus admonendũ putarẽ, vt cõſiderares in omni reliqua vita, quibus crederes, quos caueres. Epiſt. eadẽ.

Lentulum noſtrum eximia ſpe ſummæ virtutis adoleſcentem, cùm cæteris artibus quibus ſtuduiſti ſemper ipſe, tum in primis imitatione tui fac erudias. Nulla enim erit hac præſtantior diſciplina: quẽ nos

& quia tuus, & quia te dignus eſt filius, & quia nos diligit, ſempérque dilexit, in primis amamus, charúmque habemus. Epiſt. eadem.

Noui enim temperantiam, & moderationem naturæ tuæ: noui animum, tum mihi amiciſſimum, tum nulla in cæteros maleuolentia ſuffuſum, contráque cùm magnum, & excelſum, tum etiam apertum, & ſimplicem. Epiſt. 9.

Ex libro ſecundo.

Ego te abfuiſſe tandiu à nobis, & doleo, quòd carui fructu iucundiſſimæ cõſuetudinis: & lætor, quòd abſens omnia cum maxima dignitate es conſecutus, quòdque in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna reſpondit. Breue eſt quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit. Tanta eſt enim expectatio vel animi, vel ingenij tui, vt ego te obſecrare, obteſtaríque non dubitem, ſic ad nos confirmatus reuertare, vt quam expectationem tui concitaſti, hanc ſuſtinere, ac tueri poſſis. Epiſt. 1.

Téque ad ſtudium ſummæ laudis cohortabor. Eſt enim tibi grauis aduerſaria conſtituta, & parata incredibilis quædam expectatio, quam tu vna re facillimè vinces, ſi hoc ſtatueris, quarum laudum gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis eſſe elaborandum. In hanc ſententiam ſcriberem plura, niſi te tua ſponte ſatis incitatum eſſe confiderem: & hoc quicquid attigi, non feci inflammandi tui cauſſa, ſed teſtificandi amoris mei. Epiſt. 3.

Vnum illud neſcio, gratulérne tibi, an timeam, quòd mirabilis eſt expectatio reditus tui: non quò verear, ne tua virtus opinioni hominum non reſpondeat: ſed mehercule, ne cùm veneris, non habeas iam quod cures, ita ſunt omnia debilitata, & iam propè extincta. Epiſt. 4.

Quid

Quid eſt cauſſæ, cur mihi non in optatis ſit, complecti hominem florẽtem ætate, opibus, honoribus, ingenio, liberis, propinquis, affinibus, amicis? Collegam meum præſertim, & in ipſa collegij laude, & ſcientia ſtudioſum mei? Epiſt. 12.

Officium meum erga Rhodonem, cæteráque mea ſtudia, quæ tibi, ac tuis præſtiti, tibi homini gratiſſimo grata eſſe vehementer gaudeo: mihíque ſcito in dies maiori curæ eſſe dignitatem tuam: quæ quidem à te ipſo integritate, & clementia tua ſic amplificata eſt, vt nihil addi poſſe videatur Epiſt. 17.

Habes enim neminem honoris gradu ſuperiorem. Epiſt. eadem.

Ex libro tertio.

Cilix libertus tuus anteà mihi minus fuit notus: ſed vt mihi à te reddidit literas plenas & amoris, & officij, mirificè ipſe ſuo ſermone ſubſecutus eſt humanitatem literarum tuarũ. Iucunda mihi eius oratio fuit, cùm de animo tuo, de ſermonibus, quos de me haberes quotidie, mihi narraret. Quid quæris? Biduo factus eſt mihi familiaris. Epiſt. 1.

Hæc mihi ampliora multò ſunt, quã illa ipſa, propter quæ hæc elaborantur. Inſignia enim virtutis multi etiam ſine virtute aſſecuti ſunt: talium virorũ tanta ſtudia aſſequi ſola virtus poteſt. Epiſt. vltima.

Ex libro quarto.

Seruius tuus, vel potius noſter, ſumma me obſeruantia colit cuius ego cùm omni probitate, ſummáque virtute, tum ſtudiis doctrináque delector. Is mecum ſæpè de tua manſione, aut deceſſione communicat. Epiſt. 4.

Ex libro quinto.

Ac non vereor, ne aſſentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam videar, cùm hoc demonſtrem,

me à te potiſſimùm ornari, celebraríque velle. Neque enim tu is es, qui, qui ſis neſcias, & qui non eos magis, qui te non admirentur, inuidos, quàm eos, qui laudent, aſſentatores arbitrêre. Neque autem ego ſum ita demens, vt me ſempiternæ gloriæ per eum commendari velim, qui non ipſe quoque in me cõmendãdo propriã ingenij gloriã cõſequatur. Epi.12.

Placet enim Hector ille mihi Næuianus, qui non tantùm laudari ſe lætatur: ſed addit etiam à laudato viro. Epiſt. eadem.

Ex libro nono.

Cùm enim te ſemper magnum hominem duxi: tum quòd his tempeſtatibus es propè ſolus in portu, fructúſque doctrinæ percipis eos, qui maximi ſunt, vt ea conſideres, eáque tractes, quorũ & vſus, & delectatio eſt omnibus iſtorum & actis, & voluptatibus anteponẽda. Equidẽ hos tuos Tuſculanenſes dies inſtar eſſe vitæ puto: libentérq; omnibus omnes opes cõceſſerim, vt mihi liceat vi nulla interpellãte iſto modo viuere. Quod nos quoque imitamur, vt poſſumus, & in noſtris ſtudiis libẽtiſſimè cõquieſcimus. Epiſt.6.

Nihil eſt enim (mihi crede) virtute formoſius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Epiſt. 14.

Itaque te cum video, omnes mihi Gracchos, omnes Lucilios, verè vt dicam, Craſſos quoq; & Lælios videre videor. Moriar, ſi præter te quenquam reliquũ habeo, in quo poſſim imaginem antiquæ, & vernaculæ feſtiuitatis agnoſcere. Epiſt.15.

Ex libro decimo.

Omnia ſumma conſecutus es, virtute duce, comite fortuna: eáque es adeptus adoleſcẽs, multis inuidentibus, quos ingenio, induſtriáq; fregiſti. Nunc me amantiſſimum tui, nemini concedentem, qui tibi vetuſtate neceſſitudinis potior poſſit eſſe, ſi audies, omnem

nem tibi reliquæ vitæ dignitatem ex optimo Reipublicæ ſtatu acquires. Epiſt. 3.

Conſul es deſignatus, optima ætate, ſumma eloquentia, maxima orbitate Reipub. virorum talium. Incumbe per deos immortales in eam curam, & cogitationem, quæ tibi ſummam dignitatem, & gloriam afferat. Vnus autem eſt, hoc præſertim tempore, per tot annos Republica deuexata, Reipublicæ benè gerendæ curſus ad gloriam. Epiſt. eadem.

Non me præteribat in tanta ſolicitudine hominum, & tam perturbato ſtatu ciuitatis, fructuoſiſſimam eſſe profeſſionem bonæ voluntatis: magnóſque honores ex ea re cõplures cõſecutos videbã. Epiſt. 8.

Ipſa fama, quæ de tua voluntate percrebuit, magnam es laudem conſecutus. Epiſt. 10.

Is enim denique honos mihi videri ſolet, qui nõ propter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna merita claris viris defertur, & datur. Quare ſit modò aliqua Reſpublica in qua honos elucere poſſit, omnibus, crede mihi, ampliſſimis honoribus abundabis. Is autem, qui verè appellari poteſt honos, non inuitamentum ad tempus, ſed perpetuæ virtutis eſt præmium. Quamobrem mi Plance, incumbe toto pectore ad laudem: ſubueni patriæ: opitulare collegæ: omnium gentium conſenſum, & incredibilem conſpirationem adiuua. Me tuorum conſiliorum adiutorẽ, dignitatis fautorem, omnibus in rebus tibi amiciſſimum, fideliſſimúmque cognoſces. Epiſt. eadem.

Vt primùm poteſtas data eſt augẽdæ dignitatis tuæ, nihil prætermiſi in te ornando, quod poſitum eſſet aut in præmio virtutis, aut honore verborum. Ep. 13.

In te, & in collega omnis ſpes eſt, Diis approbantibus. Concordia veſtra, quæ ſenatui declarata literis veſtris eſt, mirificè & ſenatus, & cuncta

ciuitas delectata eſt. Epiſt. 22.

Sic tibi perſuade, tantam eſſe apud omnes bonos tui charitatem, vt nullum genus ampliſſimæ dignitatis excogitari poſſit, quod tibi non paratum ſit. Epiſt. eadem.

Nolo enim te ignorare, quantam laudem conſecutus ſis: mihi crede, proximam Planco, ídque ipſius Planci teſtimonio, prætereà fama, ſcientiáque omnium. Epiſt. 25.

Omnes enim tuos ad laudem impetus noui. Quod ſi, vt ſcribis, ita ſentis, non magis te, quàm de te iudicium reprehendo meum. Te adipiſcendi magiſtratus leuiſſimi, & diuulgatiſſimi, ſi ita adipiſcare, vt pleríque, præpropera feſtinatio abducet à tantis laudibus, quibus te omnes in cœlum iure, & verè ferunt. Epiſt. 26.

Ex libro duodecimo.

Brutus quidem noſter egregiam laudem eſt conſecutus. Res enim tantas geſſit, tamque inopinatas, vt eæ cùm per ſe gratæ eſſent, tum gratiores propter celeritatem. Epiſt. 5.

Hircius nihil niſi cõſideratè, vt mihi crebris literis ſignificat, acturus videbatur. Epiſt. eadem.

Nunc autem opto, vt ab iſtis orientis partibus virtuti tuæ lumen eluceat. Epiſt. eadem.

Tu velim ſic exiſtimes, tibíque perſuadeas, omne perfugium bonorum in te, & Bruto eſſe poſitum, ſi (quod nolim) aduerſi quid euenerit. Res, cùm hæc ſcribebam, erat in extremum deducta diſcrimen. Epiſt. 6.

Te quidem magnum hominem & præſenti iudicio, & reliqui temporis expectatione ſcito eſſe. Hoc tibi propoſito, fac vt ad ſumma contendas. Nihil eſt tantum, quod non populus Romanus à te perfici,

atque obtineri poſſe iudicet. Epiſt. 8.

Tua virtute, magnitudine animi, nihil eſt nobilius. Itaque optamus, vt quamprimum te in Italia videamus, Rempublicam nos habere arbitramur, ſi vos habebimus. Epiſt. 10.

Eandem rem tibi volo bene, & feliciter euenire. Quod ita fore confido, fretus & induſtria, & prudentia tua. Epiſt. 19.

Ex libro decimo quarto.

Et literis multorum, & ſermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam virtutem, & fortitudinem eſſe: téque nec animi, nec corporis laboribus defatigari. Me miſerum, te iſta virtute, fide, probitate, humanitate in tantas ærumnas propter me incidiſſe? Epiſt. 1.

Quem ego diem ſi videro, & ſi in veſtrum complexũ venero, ac ſi & vos, & me ipſum recuperaro: ſatis magnum mihi fructum videbor percepiſſe & veſtræ pietatis, & meæ. Piſonis humanitas, virtus, amor in omnes nos tantus eſt, vt nihil ſupra poſſit. Vtinam ea res ei voluptati ſit: gloriæ quidem video fore. Epiſt. eadem.

Ex libro quintodecimo.

Tu es enim is, qui me tuis ſententiis ſæpiſſimè ornaſti: qui oratione, qui prædicatione, qui ſummis laudibus in ſenatu, in concionibus ad cœlum extuliſti, cuius ego ſemper tanta eſſe verborum pondera putaui, vt vno verbo tuo cum mea laude coniuncto, omnia conſequi me arbitrarer. Epiſt. 4.

A me autem hæc ſunt profecta, quæ ego in beneficij loco non pono, ſed in veri teſtimonij, atque iudicij, non vt præſtantiſſimas tuas virtutes tacitus admirarer, (quis enim idem non facit?) ſed in omnibus orationibus, ſententiis dicendis, cauſſis agendis,

omnibus ſcriptis, græcis, latinis, omni denique varietate literarum mearum, te non modò iis quos vidiſſemus, ſed iis, de quibus audiſſemus, omnibus anteferrem. Epiſt. eadem.

Quantæ tibi curæ meus honos fuerit, & quàm idem extiteris conſul in me ornando, & amplificando: qui fueras ſemper cum parentibus tuis, & cum tota domo, etſi res ipſa loquebatur: cognoui tamen ex meorum omnium literis. Itaque nihil eſt tantum, quod ego non tua cauſſa debeam, facturúſque ſim cùm ſtudioſè, tum libenter. Epiſt. 11.

Ego autem ſemper ornamento te mihi fore duxi. Fuiſti etiam præſidio triſtiſſimis meis temporibus. Acceſſit poſt tuum diſceſſum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. Itaque in veſtro ingenio, & induſtria mihi plurimùm & ſuauitatis, & dignitatis conſtitutum puto. Id tu, vt tuo ſtudio confirmes, te vehementer rogo: literáſque ad me, & continuò mittas, & cùm Romam veneris, quàm ſæpiſſimè. Epiſt. 14.

Ex libro decimoſexto.

Gratos tibi, optatóſque eſſe, qui de me rumores afferuntur, non dubito mi dulciſſime Tyro, præſtabóque, & enitar, vt in dies magis, magíſque hæc naſcens de me duplicetur opinio. Quare, quòd polliceris te buccinatorem fore exiſtimationis meæ: firmo id, conſtantíque animo facias licet. Epiſt. 21.

SEN-

SENTENTIÆ, SEV SCRIBENDI *formulæ, pacem, & fœlicem Reipublicæ ſtatum, réſque ſecundas cuiuſpiam priuati hominis concernentes. Et quas accommodamus cùm inde nobis, aut alteri congratulari cupimus.*

Cap. 8.

Ex libro primo.

HÆc animaduertenda in ciuitate, quæ ſunt apud Platonem noſtrum ſcripta diuinitus, Quales in Republica principes eſſent, tales reliquos ſolere eſſe ciues. Epiſt. 9.

Id etiam iubet idem ille Plato, quem ego autorem vehementer ſequor, tantum contendere in Republica, quantum probare tuis ciuibus poſſis: vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere. Epiſt. eadem.

Ex libro ſecundo.

Primùm tibi vt debeo, gratulor, lætórque cùm præſenti, tum etiam ſperata tua dignitate, ſerius, non negligentia mea, ſed ignoratione rerum omnium. In his enim ſum locis, quò & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardiſſimè omnia perferuntur. Epiſt. 8.

Ex libro tertio.

Si ipſa Reſpublica tibi narrare poſſet, quo modo ſeſe haberet, non facilius ex ea cognoſcere poſſes, quàm ex liberto tuo Phania: ita eſt homo non modò prudens, verum etiam (quod vidi) curioſus. Quapropter ille omnia tibi explanabit. Id enim mihi, & ad breuitatem eſt aptius, & ad reliquas res prouidentius, Epiſt. 1.

Ex libro quarto.

Gratu-

Gratulatio tua etſi eſt mihi probatiſſima, quòd ab optimo fit animo, tamen hoc mihi multò iucundius eſt, & gratius, quòd in ſumma paucitate amicorum, propinquorum, ac neceſſariorum, qui verè meæ ſaluti fauerent, te cupidiſſimum mei, ſingularémque mihi beneuolentiam præſtitiſſe cognoui. Epiſt. 11.

Ex libro ſexto.

Tibi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor: à te amari, & quid agas, quídque agatur, certior fieri volo. Epiſt. 15.

Ex libro ſeptimo.

Si te dolor aliquis corporis, aut infirmitas valetudinis tuæ tenuit, quò minus ad ludos venires, fortunæ magis tribuo, quàm ſapientiæ tuæ. Sin hæc, quæ cæteri mirantur, contemnenda duxiſti, & cum per valetudinem poſſes venire, tamen noluiſti: vtrũque lætor, & ſine dolore corporis te fuiſſe, & animo valuiſſe, cum ea quæ ſine cauſſa mirantur alij, neglexeris: modò vt tibi conſtiterit fructus ocij tui, quo quidem tibi perfrui mirificè licuit, cum eſſes in iſta amœnitate penè ſolus relictus. Epiſt. 1.

Reliquas verò partes diei tu conſumebas hic delectationibus, quas tibi ipſi ad arbitrium tuum compararas. Epiſt. eadem.

Reliquæ ſunt venationes binæ per dies quinque, magnificæ, nemo negat: ſed quæ poteſt eſſe homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus à valentiſſima beſtia laniatur, aut præclara beſtia venabulo tranſuerberatur? Quæ tamen ſi videnda ſint, ſæpe vidiſti: neque nos qui hæc ſpectamus, quicquam vidimus noui. Epiſt. eadem.

Itaque quæro cauſſas omnes aliquando viuendi arbitratu meo: téque, & iſtam rationem ocij tui & laudo vehementer, & probo. Epiſt. eadem.

Quòd

Quòd verò in C. Marij ſuauiſſimi, doctiſſimíque hominis familiaritatem veniſti, non dici poteſt, quã valdè gaudeam: qui fac vt te quam maximè diligat: mihi crede, nihil ex iſta prouincia potes, quod iucundius ſit, deportare. Epiſt. 15.

Ex libro nono.

Reliquum, vbi nunc eſt Reſpublica, ibi ſimus potius, quàm, dum illam veterem ſequamur, ſimus in nulla. Epiſt. 9.

Ex libro decimo.

Eſt omnino patriæ charitas meo quidem iudicio maxima: ſed amor, voluptatiſque coniunctio plus certè habet ſuauitatis. Itaque commemoratio tuæ paternæ neceſſitudinis, beneuolentiæque eius, quam erga me à pueritia contuliſſes, cæterarúmque rerum, quæ ad eam ſententiam pertinebant, incredibilem mihi lætitiam attulit. Rurſus declaratio animi tui, quem haberes de Republica, quáque habiturus eſſes, mihi erat iucundiſſima: eóque maior erat hæc lætitia, quòd ad illa ſuperiora accedebat. Itaque te non hortor ſolùm mi Plance, ſed planè etiam oro, quod feci his literis, quibus tu humaniſſimè reſpondiſti: vt tota mente, omníque animi impetu in Rempublicam incumbas. Nihil eſt, quod tibi maiori fructui, gloriæque eſſe poſſit: nec quicquam ex omnibus rebus humanis eſt præclarius, aut præſtantius, quàm de Repub. bene mereri. Epiſt. 5.

Etſi Reipublicæ cauſſa maximè gaudere debeo, tantum ei te præſidij, tantum opis attuliſſe extremis penè temporibus: tamen ita te victorem complectar Repub. recuperata, vt magnam partem mihi lætitiæ tua dignitas afferat: quam & eſſe iam, & futuram ampliſſimam intelligo. Epiſt. 12.

Perge igitur, vt ais, nomenque tuum commenda

immortalitati: atque hæc omnia, quæ habent ſpeciem gloriæ, collecta ex inaniſſimis ſplēdoris inſignibus, contemne: breuia, fugacia, & caduca exiſtima. Verum decus in virtute poſitum eſt, quæ maximè illuſtratur magnis in Rempublicam meritis. Eam facultatem habes maximam: quam quādò complexus es, & tenes, perfice, vt ne minus Reſpublica tibi, quā tu Reipublicæ, debeas. Me tuæ dignitatis non modò fautorem, ſed etiam amplificatorem cognoſces. Id tum Reipublicæ, quæ mihi eſt mea vita charior, tum noſtræ neceſſitudini debere me iudico. Atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam voluptatem, quòd benè cognitam mihi T. Munatij prudentiam & fidem, magis etiam perſpexi in eius incredibili erga te beneuolentia, & diligentia. Epiſt. eadem.

Nunquam mehercule mi Cicero, me pœnitebit maxima pericula pro patria ſubire, dum, ſi quid acciderit mihi, à repræhenſione temeritatis abſim. Ep. 23.

Laterenſis noſtri & fidem, & animum ſingularem in Rempublicam ſemper fatebor. Epiſt. eadem.

Pacis inter ciues conciliandæ te cupidum eſſe lætor. Pacem eam ſi à ſeruitute ſeiungis, conſules & Reipublicæ, & dignitati tuæ. Sin iſta pax, perditum hominem in poſſeſſionem impotentiſſimi dominatus reſtitutura eſt, hoc animo ſcito omnes ſanos, vt mortem ſeruituti anteponant. Itaque ſapientius, meo quidem iudicio, facies, ſi te in iſtam pacificationem non interpones, quæ neque ſenatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur. Sed hæc audies ex aliis, aut certior fies literis. Tu pro tua prudētia, quod optimum eſt factu, videbis. Epiſt. 27.

Totam Rempublicam ſum complexus, egíq; acerrimè: ſenatúmque iam languentem, & defeſſum ad priſtinam

priſtinam virtutem, cõſuetudinémque reuocaui, magis animi, quàm ingenij viribus. Hic dies, meáque contentio, atque actio, ſpem primùm populo Romano attulit libertatis recuperandæ. Nec verò poſteà tempus vllum intermiſi de Republica, non cogitandi ſolùm, ſed etiam agendi. Epiſt. 28.

Natura autem mea, & ſtudia trahunt me ad pacis, & libertatis cupiditatem. Epiſt. 31.

Quare me eum exiſtima eſſe, qui primùm pacis cupidiſſimus ſim: (omnes enim ciues planè ſtudeo eſſe ſaluos) deinde qui & me, & Rempublicam vindicare in libertatem paratus ſim. Epiſt. eadem.

Deos, hominéſque teſtor, Patres conſcripti, qua mente, & quo animo ſemper in Rempublicã fuerim, & quàm nihil antiquius communi ſalute, ac libertate iudicarim: quod vobis breui probaſſem, niſi mihi fortuna proprium conſilium extorſiſſet. Epiſt. 34.

Ex libro quintodecimo.

Maxima ſum lætitia affectus, cùm audiui te conſulem factum eſſe: eúmque honorem tibi deos fortunare volo, atque à te pro tua, parentíſque tui dignitate adminiſtrari. Epiſt. 8.

Marcellum tuum conſulem factum, téque ea lætitia affectum eſſe, quam maximè optaſti, mirum in modum gaudeo: ídque cum ipſius cauſſa, tum quòd te omnibus ſecundiſſimis rebus digniſſimum iudico: cuius erga me ſingularem beneuolentiam vel in labore meo, vel in honore perſpexi. Totam denique domum veſtram vel ſalutis, vel dignitatis meæ ſtudioſiſſimam, cupidiſſimámque cognoui. Quare, gratum mihi feceris, ſi vxori tuæ Iuniæ grauiſſimæ, atq; optimæ fœminæ, meis verbis eris gratulatus. A te id, quod conſueuiſti, peto, me abſentem diligas, atque defendas. Epiſt. 9.

SEN-

SENTENTIÆ, SEV SCRIBEND

formulæ, quas accommodamus, quum vitia, inimicitias, malos hominum mores explicare: atque illos inde reprehendere volumus. Caput 9.

Ex libro tertio.

ILlud planè moleſtè tuli, quod certiſſimum, & iuſtiſſimum triumphum, hoc inuidorum conſilio eſſe tibi ereptum videbam. Quod tu ſi tanti facies: quanti ego ſemper iudicaui faciendum eſſe: facies ſapienter, & ages victor ex inimicorum dolore triumphum iuſtiſſimum. Epiſt. 10.

Ex libro quinto.

Sed, quod te non fugit, hæc ſunt in hoc genere vitia: & vt verecundius ipſi de ſe ſcribant, neceſſe eſt, ſi quid eſt laudandum: & prætereant; ſi quid fortè reprehendendum eſt. Accedit etiam, vt minor ſit fides, minor autoritas: multi denique reprehendant & dicant, verecundiores eſſe præcones ludorum Gymnicorum, qui cùm cæteris coronas impoſuerũt victoribus, eorúmque nomina magna voce pronuntiauerunt, cùm ipſi ante ludorum miſſionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne ſua voce ipſi ſe victores eſſe prædicent. Hæc nos vitare cupimus: & ſi recipis cauſſam noſtram, vitabimus: ídque vt facias, rogamus. Epiſt. 12.

Ex libro ſeptimo.

Miror cur me accuſes, cùm tibi id facere non liceat: quòd ſi liceret, tamen non debebas. Ego enim te in conſulatu obſeruaueram: & ais fore, vt te Cæſar reſtituat. Multa tu quidem dicis, ſed tibi nemo credit.

credit. Tribunatum plebis dicis te mea cauſſa petiſſe: vtinam ſemper eſſes Tribunus, interceſſorem non quæreres. Negas me audere, quod ſentiam, dicere: quaſi tibi, cùm parum prudenter me rogares, parum fortiter reſponderim. Hæc tibi ſcripſi, vt iſto ipſo in genere, in quo aliquid poſſe vis, te nihil eſſe cognoſceres. Quod ſi humaniter mecum quæſtus eſſes, libenter tibi me, & facilè purgaſſem. Non enim mihi ingrata ſunt, quæ feciſti: ſed quæ ſcripſiſti, moleſta. Me autem, propter quem cæteri liberi ſunt, tibi liberum non viſum demiror. Nam ſi falſa fuerunt, quæ tu ad me, vt ais, detuliſti: quid ego tibi debeo? Sin vera: tu es optimus teſtis, quid mihi populus Romanus debeat. Epiſt. 28.

Memini, quòd mihi deſipere videbare, quòd iſtic potius viueres, quàm nobiſcum. Erat enim multò domicilium huius vrbis (tũ quidem hæc vrbs) aptius humanitati, & ſuauitati tuæ, quàm tota Peloponneſus, nedum Patræ. Epiſt. 29.

Ex libro octauo.

Pudet me tibi confiteri, & queri de Appij hominis ingratiſſimi iniuriis, qui me odiſſe, quia magna mihi debebat beneficia, cœpit: & cùm homo auarus, vt ea ſolueret, ſibi imperare non poſſet; occultum bellum mihi indixit: ita occultum tamen, vt multi mihi renuntiarent, & ipſe facilè animaduerterem, malè cum de me cogitare. Epiſt. 13.

Ecquando tu hominem ineptiorem, quàm tuum Cn. Pompeium vidiſti, qui tantas turbas, qui tam nugax eſſet, commorit? Ecquem autem Cæſare noſtro acriorem in rebus gerendis, eodem in victoria temperatiorem aut legiſti, aut audiſti? Epiſt. 16.

Ex libro decimo.

Confiterer me imprudentia lapſum, ſi vnquam

Lepido ex animo credidiſſem. Credulitas enim error eſt magis, quàm culpa: & quidem in optimi cuiuſq; mentem facillimè irrepit. Sed ego non hoc vitio penè ſum deceptus. Lepidũ enim pulchrè norã. Epiſt.23.

Ne moueat eius ſermonibus, quem tametſi nemo eſt, qui videre velit, tamen neququam perinde ac dignus eſt, oderunt homines: periculum non eſt. Adeò eſt inuiſus mihi, vt nihil non acerbum putem, quod commune cum illo ſit. Epiſt.31.

Ex libro vndecimo.

Dij iſti Segulio malefaciant, homini nequiſſimo omnium, qui ſunt, qui fuerunt, qui futuri ſunt. Quid? Tu illum ſolũ tecum, aut cum Cæſare, qui neminem prætermiſerit, qui-cum loqui potuerit, cui non eadẽ iſta dixerit? Te tamen mi Brute, ſic amo, vt debeo, quòd iſtud quicquid eſſet nugarum, me ſcire voluiſti. Signum enim magnum amoris dediſti. Epiſt.21.

Ex libro duodecimo.

Sed homo amens & perditus, multóque nequior quàm ille ipſe, quem tu nequiſſimum occiſum eſſe dixiſti: cædis initium quærit. Epiſt.2.

Dolabella valdè vituperabatur ab hominibus non inſulſis, quòd tibi tam citò ſuccederet, cũ tu vix dum triginta dies in Syria fuiſſes. Epiſt.4.

Scelus affinis tui Lepidi, ſummámque leuitatem, & inconſtantiam, ex actis, quæ ad te mitti certò ſcio, cognoſcere te arbitror. Epiſt.8.

Itaque eadem ſuperbia & in prauitate vtuntur. Quorum improbitatem aliquando retundi & non pati impunitate augeri, non ſolùm vtile eſt Reipublicæ noſtræ, ſed etiam neceſſarium. Epiſt.14.

Ex libro quartodecimo.

Quæ ſi, vt tu ſcribis, fato facta putarem, ferrem paulò facilius: ſed omnia ſunt mea culpa commiſſa,

qui.

qui ab iis me amari putabam, qui inuidebant: eos nō ſequebar, qui petebant. Quòd ſi noſtris conſiliis vſi eſſemus, neque apud nos tantum valuiſſet ſermo, aut ſtultorum amicorum, aut improborum, beatiſſimi viueremus. Epiſt.1.

SENTENTIÆ, SEV SCRIBENDI *formulæ ad bellum, & perturbatum Reipublicæ ſtatum aduerſáſque res parati alicuius hominis, vtpote infirmitatem, morbum, mortem, & cætera pertinentes. Et quibus vtimur cùm de eis aut dolemus, aut aliquem conſolamur. Cap.10.*

Ex libro ſecundo.

Ciuem mehercule non puto eſſe, qui temporibus his ridere poſſit. Epiſt.3.

Profectò vides, quanta vis in Republica temporum ſit, quanta varietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum voluntates, quid inſidiarum, quid vanitatis in vita ſit, non dubito, quin cogites. Epiſt.6.

Magno dolore me affeciſſent tuæ literæ, niſi iam & ratio ipſa depuliſſet omnes moleſtias, & diuturna deſperatione rerum obduruiſſet animus ad dolorem nouum. Epiſt.15.

Ex libro quarto.

Vtinam, Serui, ſaluis rebus (ſic enim eſt dicendum) colloqui potuiſſemus inter nos. Profectò aliquid opis occidenti Reipublicæ tuliſſemus. Epiſt.1.

Rem vides, quo modo ſe habeat: orbem terrarū imperiis diſtributis ardere bello: vrbem ſine legibus, ſine iudiciis, ſine iure, ſine fide relictam direptioni,

& incendiis. Itaque mihi venire in mentem nihil poteſt, non modò quid ſperem: ſed vix iam quid audeam optare. Sin autem tibi homini prudentiſſimo videtur vtile eſſe, nos colloqui: quanquam longius etiam cogitabam ab vrbe diſcedere, cuius iam etiam nomen inuitus audio: tamen propius accedam.

Epiſt. eadem.

Tanta perturbatio, & confuſio eſt rerum: ita perculſa, & proſtrata fœdiſſimo bello iacent omnia, vt is cuique locus, vbi ipſe ſit, miſerrimus eſſe videatur.

Epiſt. 4.

Poſtea quàm mihi renunciatum eſt de obitu Tulliæ filiæ tuæ, ſanè quàm pro eo, ac debui, grauiter, moleſtéque tuli, communémque eam calamitatem exiſtimaui: qui ſi iſtic affuiſſem, neque tibi defuiſſem, corámque meum dolorem tibi declaraſſem. Et ſi genus hoc conſolationis minimum, atque acerbum eſt, propterea quòd per quos id fieri debet propinquos, ac familiares, ipſi pari moleſtia afficiuntur, neque ſine lachrymis multis id conari queunt, vt magis ipſi videantur aliorum conſolatione indigere, quàm aliis poſſe ſuum officium præſtare: tamen quæ in præſentia mihi in mentem venerunt, decreui breui ad te perſcribere: non quòd ea te fugere exiſtimem, ſed quod forſitan dolore impeditus minus ea perſpicias. Quid eſt, quòd tantopere te commoueat tuus dolor inteſtinus? Epiſt. 5.

In vnius mulierculæ animula ſi iactura facta eſt, tantopere commoueris? Quæ ſi hoc tempore non ſuum dié obiiſſet, paucis pòſt annis tamen ei moriédum fuit, quoniam homo nata fuerat. Epiſt. eadem.

Noli te obliuiſci Ciceronem eſſe, & eum, qui aliis cõſueueris præcipere, & dare conſilium. Neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitétur

ſe te-

ſe tenere medecinæ ſcientiam, ipſi ſe curare non poſſunt: ſed potius, quæ aliis tute præcipere ſoles, ea tute tibi ſubiice, atque apud animum propone. Nullus dolor eſt, quem non longinquitas temporis minuat, atque tollat. Epiſt. eadem.

Plura me ad te de hac re ſcribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Quare ſi hoc vnum propoſuero, finem faciam ſcribendi. Vidimus aliquoties ſecundam pulcherrimè te ferre fortunam, magnámque ex ea re te laudem adipiſci: fac aliquando intelligamus, aduerſam quoque te æquè ferre poſſe: neque id maius, quam debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus hæc vna tibi videatur deeſſe. Quod ad me attinet, cùm te tranquilliori animo eſſe cognouero, de iis rebus, quæ hìc geruntur, quemadmodúmque ſe prouincia habeat, certiorem faciam. Epiſt. eadem.

Ego verò Serui vellem: vt ſcribis, in meo grauiſſimo caſu affuiſſes. Quantum enim præſens me adiuuare potueris, & conſolando, & propè æquè dolendo, facilè ex eo intelligo, quod literis, tuis lectis aliquantum acquieui. Nam & ea ſcripſiſti, quæ leuare luctum poſſent: & in me conſolando, non mediocrem ipſe animi dolorem adhibuiſti. Epiſt. 6.

Neque monere te audeo, præſtanti prudentia virum: nec confirmare, maximi animi hominem, virúmque fortiſſimum, conſolari verò nullo modo. Nam ſi ea quæ acciderunt, ita fers, vt audio, gratulari magis virtuti debeo, quàm conſolari dolórem tuum. Sin te tanta mala Reipublicæ frangunt, non ita abúdo ingenio, vt te conſoler, cùm ipſe me non poſſim. Epiſt. 8.

Itaque orbus iis rebus omnibus, quibus & natura me, & voluntas, & conſuetudo aſſuefecerat: cùm cæteris, vt quidem videor, tum ipſi mihi diſpliceo.

Natus enim ad agendum ſemper aliquid dignum viro, nunc non modò agendi rationem nullam habeo, ſed ne cogitandi quidem. Epiſt. 14.

Reliquum eſt, vt conſoler, & afferã rationes, quibus te à moleſtiis coner abducere. At ea quidem facultas vel tui, vel alterius conſolãdi in te ſumma eſt, ſi vnquam in vllo fuit. Itaq; eam partem, quæ ab exquiſita quadam ratione, & doctrina proficiſcitur, nõ attingam, tibi totam relinquam. Quid ſit forti, & ſapienti homine dignum, quid grauitas, quid altitudo animi, quid acta tua vita, quid ſtudia, quid artes, quibus à pueritia floruiſti, à te flagitent, tu videbis. Ego quod intelligere, & ſentire poſſum, quia ſum Romæ, & quia curo, attendóque, id tibi affirmo, te in iſtis moleſtiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum. Epiſt. eadem.

Extremũ illud eſt, vt te horter, & obſecrem animo vt maximo ſis: nec ea ſolùm memineris, quæ ab aliis magnis viris accepiſti, ſed illa etiam quæ ipſe ingenio ſtudióque peperiſti: quæ ſi colliges, ſperabis omnia optimè, & quæ accident, qualiacunque erunt, ſapienter feres. Sed hæc te melius, vel optimè omnium. Epiſt. eadem.

Ex libro quinto.

Ego dolori tuo non ſolùm ignoſco, ſed ſummam etiã laudem tribuo. Meus enim me ſenſus, quanta vis fraterni ſit amoris, admonet. A te peto, vt quoque æquum te iudicẽ dolori meo præbeas: ſi acerbè, crudeliter, ſi ſine cauſſa ſum à tuis oppugnatus. Epiſt. 2.

Habet enim præteriti doloris ſecura recordatio delectationem. Epiſt. 12.

Circunſpice omnia membra Reipublicæ, quæ notiſſima ſunt tibi: nullum reperies profectò quod non fractũ, debilitatúmue ſit: quæ perſequerer, ſi aut melius

lius ea viderem, quàm tu vides: aut commemorare poſſem ſine dolore, quanquam tuis monitis, præceptíſque omnis eſt abiiciendus dolor. Ergo & domeſtica feremus, vt cenſes: & publica paulò etiam fortius fortaſſe, quàm tu ipſe qui præcipis. Epiſt.13.

Ignoſces mihi de meipſo aliquid prædicãti. Quarum enim tu rerum cogitatione nos leuare ægritudine voluiſti, earum etiam commemoratione lenimur. Itaque vt mones, quantum potero, me ab omnibus moleſtiis, & angoribus abducam: transferámque animum ad ea, quibus ſecundæ res ornantur, aduerſæ adiuuantur. Epiſt. eadem.

Et ſi vnus ex omnibus minimè ſum ad te conſolandum accõmodatus, quòd tantũ ex tuis moleſtiis cepi doloris, vt conſolatione ipſe egerem: tamẽ cùm longius à ſummi luctus acerbitate meus abeſſet dolor, quã tuus, ſtatui noſtræ neceſſitudinis eſſe, meæq; in te beneuolentiæ, non tacere tanto in tuo mœrore tandiu: ſed adhibere aliquam modicam cõſolationem, quæ leuare dolorem tuum poſſet, ſi minus ſanare potuiſſet. Eſt autem cõſolatio peruulgata quidẽ illa maximè, quã ſemper in ore, atque in animo habere debemus, homines nos vt eſſe meminerimus, ea lege natos, vt omnibus telis fortunæ propoſita ſit vita noſtra: neque eſſe recuſandum, quò minus ea, qua nati ſumus, conditione viuamus: néue tam grauiter eos caſus feramus, quos nullo conſilio vitare poſſumus: euentíſque aliorum memoria repetendis, nihil accidiſſe nobis noui cogitemus. Epiſt.16.

Quãobrem omnibus officiis amicitiæ diligenter à me ſanctéque ſeruatis, ne hoc quidẽ prætermittendũ eſſe duxi, te vt hortarer, rogaréq;, vt & hominem te, & virũ eſſe meminiſſes, id eſt, vt & cõmunem, incertúmq; caſum, quem neque vitare quiſquã noſtrum,

neque præſtare vllo pacto poteſt, ſapienter ferres: & dolori fortiter, ac fortunæ reſiſteres: cogitaréſque & in noſtra ciuitate, & in cæteris: quæ rerum potitæ ſunt, multis fortiſſimis, atque optimis viris iniuſtis iudiciis tales caſus incidiſſe. Epiſt. 17.

Etſi egomet,qui te conſolari cupio, conſolandus ipſe ſum, propterea quòd nullam rem grauius iamdiu tuli, quàm incommodum tuum: tamen te magnopere non hortor ſolùm,ſed etiam pro amore noſtro rogo atque oro, te colligas, virúmque præbeas, & qua conditione omnes homines, & quibus temporibus nati ſumus, cogites. Plus tibi virtus tua dedit,quàm fortuna abſtulit. Epiſt. 18.

Omnibus his de cauſſis, debes iſtam moleſtiam, quàm leniſſimè ferre. Meus animus erit in te, liberóſque tuos ſemper, quem tu eſſe vis, & qui eſſe debet. Epiſt. eadem.

Ex libro ſexto.

Hoc loco ſi videor augere dolorem tuum,quem conſolando leuare debebam:fateor me communium malorum conſolationem nullam inuenire, præter illam,quæ tamē,ſi poſſis eam ſuſcipere, maxima eſt, quáque ego quotidie magis,vtor,conſcientiam rectæ voluntatis maximam conſolationem eſſe rerum incōmodarum: nec eſſe vllum magnum malum, præter culpam. A qua quando tantùm abſumus,vt etiam optimè ſenſerimus:euentúſque magis noſtri conſilij, quàm conſilium reprehendatur: & quandò præſtitimus, quod debuimus, moderatè, quod euenit, feramus. Epiſt.4.

Etſi tali tuo tempore me aut conſolandi, aut iuuandi tuì cauſſa ſcribere ad te aliquid pro noſtra amicitia oportebat: tamen adhuc id non feci: quia neque lenire videbar oratione, neque leuare poſſe dolorem

dolorem tuum. Poſteà verò, quàm magnam ſpem habere cœpi, fore, vt te breui tempore incolumem haberemus: facere non potui, quin tibi & ſententiã, & voluntatem declararem meam. Epiſt. 13.

Nunc verò euerſis omnibus rebus cùm conſilio profici nihil poſſit, vna ratio videtur, quicquid euenerit, ferre moderatè: præſertim cùm omnium rerum mors ſit extremum: & mihi ſim conſcius, me, quoad licuerit, dignitati Reipublicæ conſuluiſſe: & hac amiſſa, ſalutem retinere voluiſſe. Hæc ſcripſi, non vt de me ipſe dicerem, ſed vt tu qui coniunctiſſima fuiſti mecum & ſententia, & voluntate, eadem cogitares. Magna enim conſolatio eſt, cùm recordare, etiam ſi ſecus acciderit, te tamen rectè, veréque ſenſiſſe. Atque vtinam liceat aliquando aliquo Reipublicæ ſtatu nos frui, intérque nos conferre ſolicitudines noſtras, quas pertulimus tum, cùm timidi putabamur, quía dicebamus ea futura, quæ facta ſunt. De tuis rebus nihil eſſe', quod timeas, præter vniuerſæ Reipublicæ interitum, tibi confirmo. De me autem ſic velim iudices, quantum ego poſſim, me tibi ſaluti tuæ, liberíſque tuis ſummo cum ſtudio præſto ſemper futurum. Epiſt. 21.

Ex libro ſeptimo.

Ex omnibus autem iis, quæ dixi, incómodis, nihil tolerabilius exilio, præſertim innocenti, vbi nulla adiuncta eſt turpitudo: addo etiam, cùm ea vrbe careas, in qua nihil ſit, quod videre poſſis ſine dolore. Epiſt. 3.

Cùm decimum iam diem grauiter ex inteſtinis laborarem: neque iis, qui mea opera vti volebant, probarem me non valere, quia febrim non haberem, fugi in Tuſculanum: quum quidem biduum ita ieiunus fuiſſem, vt ne aquam quidem guſtarem. Ita

confectus languore, & fame, magis tuum officium deſideraui, quàm abs te requiri putaui meum. Epiſt. 27.

Ex libro nono.

Caſum, quo ſum grauiſſimè afflictus, ferrem certé moderatius, ſi te haberem. Nam & oratio tua prudens, & amor erga me ſingularis, multum leuaret. Sed quoniam breui tempore, vt opinio noſtra eſt, te ſum viſurus: ita me affectum offendes, vt multũ à te poſſim iuuari: non quòd ita ſim fractus, vt aut hominem me eſſe oblitus ſim, aut fortunæ ſuccumbendum putem: ſed tamen hilaritas illa noſtra, & ſuauitas, quæ te præter cæteros delectabat, erepta mihi omnino eſt. Firmitatem tamen, & conſtantiam, ſi modò fuit aliquando in nobis, eandem cognoſces, quam reliquiſti. Epiſt. 11.

Caius Suberinus Calenus meus familiaris incidit in ea ipſa mala, quæ ſummo ſtudio vitauerat. Oppreſſus eſt enim bello repentino. Epiſt. 13.

Ex libro decimo.

Quæ poteſt enim ſpes eſſe in ea Republica, in qua hominis impudiciſſimi, atque intemperantiſſimi armis oppreſſa ſunt omnia? & in qua nec ſenatus, nec populus vim habet vllam, nec leges vllæ ſunt, nec iudicia, nec omnino ſimulacrum aliquod aut veſtigium ciuitatis?. Epiſt. 1.

Primò ita pugnatum eſt, vt acrius non poſſet ex vtraque parte pugnari. Epiſt. 30.

Quò tardius certior fierem de præliis apud Mutinam factis, Lepidus effecit, qui meos tabellarios nouem dies retinuit. Tametſi tantam calamitatem Reipublicæ, quàm tardiſſimè audire optandum eſt: ſed illis quidem prodeſſe nihil poſſum, neque mederi. Epiſt. 33.

Nam

Nam neque deeſſe, neq; ſupereſſe Reipublicæ volo. Maximè tamē doleo, adeò & lōgo. & infeſto itinere ad me veniri, vt die quadrageſimo pòſt, aut vltra etiã, quàm facta ſunt, omnia nuntientur. Epiſt. eadem.

Quod ad bellum hoc attinet, nec ſenatui, nec Reipublicæ deerimus: quæ poſtea egerimus, faciam te certiorem. Epiſt. 35.

Ex libro vndecimo.

Panſa amiſſo, quantum detrimenti Reſpublica acceperit, non te præterit: nunc autoritate, & prudentia tua proſpicias oportet, ne inimici noſtri, conſulibus ſublatis, ſperent ſe conualeſcere poſſe. Epiſt. 9.

Sed bellum iſtic renatum homines mirantur, nihil tam præter ſpem vnquam. Epiſt. 14.

Nunc verò cùm ſim cum tyronibus egentiſſimis, valdè & meam, & veſtram vicem timeam, neceſſe eſt. Epiſt. 19.

Ego niſi valde neceſſe fuerit, ex Italia non excedam. Legiones armo, paro: ſpero me non peſſimum exercitum habiturum, ad omnes caſus, & impetus hominum. Epiſt. 20.

Ex libro duodecimo.

O rem miſeram! dominum ferre non potuimus: conſeruo ſeruimus! Et tamen me quidem fauente magis, quàm ſperante. Epiſt. 3.

Seruij Sulpitij morte, magnum præſidium amiſimus. Reliqui partim inertes, partim improbi: nonnulli inuident eorum laudi, quos in Republica probari vident. Epiſt. 5.

Brutus Mutinæ vix iam ſuſtinebat. Qui ſi conſeruatus erit, vicimus: ſin (quod dij omen auertant) oppreſſus ibi erit, omnis omnium curſus eſt ad vos. Proinde fac tantum animum habeas, tantūmq; apparatum, quanto opus eſt ad vniuerſam Rempublicam

recuperandam. Epiſt.6.

Vt enim grauius ægrotant ij,qui,cum leuati morbo viderentur,in eum de integro inciderunt:ſic vehementius nos laboramus, qui profligato bello, ac penè ſublato, renouatum bellum gerere conamur. Epiſt. vltima.

Ex libro decimoquarto.

Non queo reliqua ſcribere (tanta vis lachrymarũ eſt) ne te in eundem fletum adducam. Epiſt.1.

Vos enim video eſſe miſerrimas,quas ego beatiſſimas ſemper eſſe volui. Epiſt. 2.

A te quidem omnia fieri fortiſſimè & amantiſſimè video,nec miror:ſed mœreo caſum eiuſmodi, vt in tantis tuis miſeriis meæ miſeriæ ſubleuentur.Nam ad me P. Valerius homo officioſus ſcripſit, id quod ego maximo cum fletu legi,quemadmodum à Veſta ad tabulam Valeriam ducta eſſes. Hem mea lux, meũ deſiderium, vnde omnes opem petere ſolebant, te nũc mea Terentia ſic vexari, ſic iacere in lachrymis, & ſordibus: ídque fieri mea culpa, qui cæteros ſeruaui,vt nos periremus? Epiſt.eadem.

Accepi ab Ariſtocrito tres epiſtolas,quas ego lachrymis penè deleui. Conficior enim mœrore,mea Terentia: nec me meæ miſeriæ magis excruciant, quàm tuæ, veſtræque. Ego autem hôc miſerior ſum, quàm tu, quæ es miſerrima: quòd ipſa calamitas cõmunis eſt vtriúſque noſtrum; ſed culpa mea propria eſt. Epiſt.3.

Nam mihi ante oculos dies noctéſque verſatur ſqualor veſter, & mœror, & infirmitas valetudinis tuæ:ſpes autem ſalutis pertenuis oſtenditur. Inimici ſunt multi, inuidi penè omnes. Epiſt.eadem.

Non queo iam plura ſcribere: impedit mœror. Epiſt.4.

Om-

Omnes moleſtias, & ſolicitudines, quibus & te miſerrimam habui (id quod mihi moleſtiſſimum eſt) Tulliolámque, quæ nobis noſtra vita dulcior eſt, depoſui, & eieci. Epiſt. 7.

Ad cæteras meas miſerias acceſſit dolor è Dolabellæ valetudine, & Tulliæ: omnino de omnibus rebus nec quid cõſilij capiam, nec quid faciam ſcio. Tu velim tuam, & Tulliæ valetudinem cures. Epiſt. 9.

In maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliæ noſtræ: De qua nihil eſt, quod ad te plura ſcribam. Tibi enim æquè magnæ curæ eſſe certò ſcio. Epiſt. 19.

Ex libro decimo ſexto.

Quo in diſcrimine verſetur ſalus mea, & bonorũ omnium, atque vniuerſæ Reipublicæ, ex eo ſcire potes, quòd domos noſtras, & patriam ipſam vel diripiendam, vel inflammandam reliquimus. Epiſt. 11.

Incredibili ſum turbatus ſolicitudine de tua valetudine: qua ſi me liberaris, ego te omni cura liberabo. Epiſt. 13.

SENTENTIÆ, SEV SCRIBENDI *formulæ, quibus vtimur, cùm rem aliquam geſtam amico ſignificare, aut aliquid ab eo expoſcere: aut ipſum ad rem aliquam peragendam exhortari volumus. Cap. 11.*

Ex libro primo.

Pompeium & hortari, & orare, & iam liberius accuſare, & monere, vt magnam infamiam fugiat, non deſiſtimus. Sed planè nec precibus noſtris, nec admonitionibus reliquit locum. Nam cùm

diano, tum in ſenatu palàm ſic agit cauſam tuam, vt neque eloquentia maiore quiſquam, neque grauitate, nec ſtudio, nec contentione agere potuerit, cum ſumma teſtificatione tuorum in ſe officiorum, & amoris erga te ſui. Epiſt.1.

Nos in cauſſa autoritatem eò minorem habemus. quòd tibi debemus. Gratiam autem noſtram extinguit hominum ſuſpicio Epiſt. eadem.

Idibus Ianuariis in ſenatu nihil eſt cõfectum, propterea ꝙ dies magna ex parte cõſumptus eſt altercatione Lẽtuli cõſulis, & Caninij tribuni pleb. Epiſt. 2.

Conſules neque concedebant, neque valdè repugnabant, diem conſumi volebant, id quod eſt factũ: reſpiciebant enim in Hortenſij ſententiam multis partibus plures ituros. Epiſt.eadem.

Hac controuerſia vſque ad noctem ducta, ſenatus eſt dimiſſus: & ego eo die caſu apud Pompeium cœnaui: nactúſque tempus hoc magis idoneum, quàm vnquam antea, quòd poſt tuum diſceſſum is dies primus honeſtiſſimus nobis fuerat in ſenatu. Ita ſum cum eo locutus, vt mihi viderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere. Epiſt.eadem.

Hæc ſcripſi ad xvj.Calend. Februarij ante lucem. Eo die ſenatus erat futurus. Nos in ſenatu, quemadmodum ſpero, dignitatem noſtram, vt poteſt in tanta hominum perfidia, & iniquitate, retinebimus. Epiſt. eadem.

Quæ gerantur accipiẽs ex Pollione, qui omnibus negotiis non interfuit ſolùm, ſed præfuit. Epiſt.6.

Quod ſcire vis qua quiſque in te fide ſit, & voluntate, difficile dictu eſt de ſingulis. Vnum illud audeo, quòd antea tibi ſæpe ſignificaui, nunc quoque re perſpecta, & cognita ſcribere: vehementer quoſdam

homines

homines, & eos maximè, qui te & maximè debuerunt,& plurimùm iuuare potuerunt, inuidiſſe dignitati tuæ. Epiſt.7.

Quorum autoritatem,dignitatem,voluntatémq; defenderas, non tam memores eſſent virtutis tuæ, quàm laudis inimici. Quo quidem tempore, vt perſcripſi ad te anteà,cognoui Hortenſium percupidum tui,ſtudioſum Lucullũ: ex magiſtratibus autẽ L. Rutilium & fide,& animo in te ſingulari. Epiſt. eadem.

Illa me ratio mouit,vt te ex noſtris euentis communibus admonendum putarem, vt conſiderares in omni reliqua vita, quibus crederes, quos caueres. Epiſt. eadem.

Hic ego quantum humano conſilio efficere potui, circunſpectis rebus meis omnibus, rationibúſq; ſubductis,ſummam feci cogitationũ mearum omnium: quam tibi,ſi potero, breuiter exponam. Epiſt.2.

Ex libro ſecundo.

Et quoniam meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla vnquam delebit obliuio, te rogo, memineris, quantæcunque tibi acceſſiones fuerunt & fortunæ,& dignitatis:eas te non potuiſſe cõſequi, niſi meis puer olim fideliſſimis, atque amantiſſimis cõſiliis paruiſſes. Quare hoc animo in nos eſſe debebis,vt ætas noſtra iam ingraueſcens, in amore, atque in adoleſcentia tua conquieſcat. Epiſt.1.

Breui tamen ſic habeto, in eum ſtatum temporũ tuum reditum incidere,vt iis bonis, quæ tibi natura, ſtudio,fortuna data ſunt,facilius omnia, quæ ſunt in Republica,ampliſſima conſequi poſſis, quàm muneribus: quorum neque facultatem quiſquam admiratur(eſt enim copia munerum,non virtutis)neq; quiſquam eſt, quin ſatietate iam defeſſus ſit. Epiſt.2.

Summa ſcito te in expectatione eſſe,eáque à te expectari

pectari, quæ à ſumma virtute, ſummóque ingenio expectanda ſunt: ad quæ ſi es, vt debes, paratus (quod ita eſſe confido) plurimis, maximíſque muneribus & nos amicos, & ciues tuos vniuerſos, & Rempub. afficies. Epiſt. eadem.

Ex libro tertio.

De rebus vrbanis quòd me certiorem feciſti, cùm per ſe mihi gratum fuit, tum quod ſignificaſti tibi omnia mea mandata curæ fore. In quibus vnum illud te præcipuè rogo, vt cures, ne quid mihi ad hoc negotij aut oneris accedat, aut temporis. Hortenſiúmque noſtrum collegam & familiarem roges, vt ſi vnquam mea cauſſa quicquam aut ſenſit, aut fecit, de hac quoque ſententia bima decedat: qua mihi nihil poteſt eſſe inimicitius. Epiſt. 8.

Illud quod polliceris, velim pro tua fide, diligentiáque, & pro noſtra non inſtituta, ſed iam inueterata amicitia, cures, enitare, vt ſupplicatio nobis quàm honorificentiſſimè, quamprimúmque decernatur. Epiſt. 9.

Ex libro quarto.

Etſi ſcio non iucundiſſimum nuntium me vobis allaturum: tamen quoniam caſus & natura in bonis dominatur, viſum eſt faciendum, quoquo modo res ſe haberet, vos certiores vt facerem. Epiſt. 12.

Ita vir clariſſimus ab homine teterrimo acerbiſſima morte eſt affectus: & cui inimici propter dignitatem pepercerant, inuentus eſt amicus, qui ei mortem afferret. Epiſt. eadem.

Sed de noſtris rebus ſatis, vel etiam nimium multa. De tuis velim, vt eo ſis animo, quo debes eſſe: id eſt, vt ne quid tibi præcipuè timendum putes. Si enim ſtatus erit aliquis ciuitatis, quicunque erit, te omniũ periculorum video inexpertem fore. Nam alteros

tibi

tibi iam placatos eſſe intelligo, alteros nunquam iratos fuiſſe. Epiſt. 14.

Ex libro quinto.

Quare, te rogo, ſi opus erit, ad Cæſarem meam cauſſam agas, méque tibi in omnes partes defendendum putes: hoc exiſtimans, neminem te tui amantiorem habere. Epiſt. 10.

Quàm potui accuratiſſimè te, tuámque cauſſam tutatus ſum: & proximè, recenti aduentu meo cùm rem aliter inſtitutam offendiſſem, ac mihi placuiſſet, ſi affuiſſem: tamen nulla in re ſaluti tuæ defui. Epiſt. 17.

Ex libro ſexto.

Quapropter primùm fac animo forti, atque magno ſis. Ita enim natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiam cognitus, vt tibi id faciendum ſit. Deinde ſpem quoque habeas firmiſſimam propter eas cauſſas, quas ſcripſi. A me verò tibi omnia, liberíſque tuis paratiſſima eſſe, confidas velim. Id enim & vetuſtas noſtri amoris, & mea conſuetudo in meos, & tua multa erga me officia poſtulant. Epiſt. 5.

Me ſcito omnem meum laborem, omnem operã, curam, ſtudium in tua ſalute conſumere: nam cùm te ſemper maximè dilexi, tum fratrum tuorum, quos æquè, atque te, ſumma beneuolẽtia ſum complexus, ſingularis pietas, amórque fraternus, nullum me patitur officij erga te, ſtudiíque munus, aut tempus prætermittere. Sed quæ faciam, fecerímque pro te, ex illorũ te literis, quàm ex meis, malo cognoſcere. Quid autem ſperem, aut confidam, & exploratum habeam de ſalute tua, id tibi à me declarari volo. Nam ſi quiſquam eſt timidus in magnis, periculoſiſque rebus ſempérq; magis aduerſos rerũ exitus metuens, quàm ſperans ſecundos, is ego ſum: & ſi hoc vitium eſt, eo

me non carere confiteor. Epiſt. 14.

De reliquo, vt te ſæpe per literas hortatus ſum, ita velim tibi perſuadeas, te in hac cauſſa nihil habere, quod timendum ſit, præter communem caſum ciuitatis, qui etſi eſt grauiſſimus, tamen ita viximus, & id ætatis iam ſumus, vt omnia, quæ non noſtra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus. Epiſt. 20.

Ex libro ſeptimo.

Fac quæſo, qui ego ſum, eſſe te. Eſtne aut tui pudoris, aut noſtri, primùm rogare de die: deinde plùs annua poſtulare? Sed eſſent mi Galle omnia facilia, ſi & ea mercatus eſſes, quæ ego deſiderabã, & ad eam ſummam, quam voluerã. Attamen iſthæc ipſa, quæ te emiſſe ſcribis, non ſolùm rata mihi erunt, ſed etiã grata: planè enim intelligo, te non modò ſtudio, ſed etiam amore vſum, quæ te delectarint hominem (vt ego ſemper iudicaui) in omni iudicio elegantiſſimũ, quæque me digna putaris, coëmiſſe. Epiſt. 24.

Caninio conſule ſcito neminem prandiſſe: nihil tamen eo conſule mali factum eſt. Fuit enim mirifica vigilantia, qui ſuo toto conſulatu ſomnum non viderit. Hæc tibi ridicula videntur: non enim ades: quæ ſi videres, lachrymas non teneres. Epiſt. 31.

Ex libro octauo.

Omnia tibi exponere, niſi coràm, non poſſum, ídque celeriter fore ſpero. Epiſt. 16.

Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro, & obſecro, ne quid grauius de ſalute, & incolumitate tua conſulas. Nam deos, hominéſque, amicitiámque noſtram teſtificor, me neque temerè tibi prædixiſſe, neque temerè monuiſſe. Epiſt. 17.

Quare ſi tibi tu, ſi filius vnicus, ſi domus, ſi ſpes tuæ reliquæ tibi charæ ſunt: ſi aliquid apud te nos, ſi vir

ſi vir optimus gener tuus valet, eorum fortunas non debes velle conturbare, vt eam cauſſam, in cuius victoria ſalus noſtra eſt, aut odiſſe, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra ſalutẽ tuam habeamus. Epiſt. eadem.

Ex libro nono.

Plus facio, quàm Caninius mandauit. Is enim ſi quid ego ſcirem, rogarat, quod tu neſcires. Ego tibi ea narro, quæ tu meliùs ſcis, quàm ipſe qui narro. Faciam ego illud, quod rogatus ſum, vt eorum quæ temporis huius ſint, quæ tua intereſſe audiero, ne quid ignores. Epiſt. 6.

Si vales, gaudeo: & ipſe valeo, & Tullia noſtra rectè valet. Terentia minùs bellè habuit: ſed certum ſcio iam conualuiſſe eam. Præterea rectiſſimè ſunt apud te omnia. Epiſt. 9.

Oratiunculam pro Deiotaro, quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. Itaque eam tibi miſi: velim ſic legas, vt cauſſam tenuem, & inopem, nec ſcriptione magnopere dignam. Sed ego hoſpiti veteri, & amico munuſculum mittere volui leuidenſe craſſo filo, cuiuſmodi ipſius ſolent eſſe munera. Epiſt. 12.

Si me amas, tu fac, vt ſciam, quid de nobis futurũ ſit. Habuiſti enim in tua poteſtate, ex quo vel ex ſobrio, vel certè ex ebrio ſcire poſſes. Epiſt. 17.

Hoc tamen ſcito, non modò non me, qui conſiliis non interſum, ſed ne ipſum quidem principem ſcire quid futurũ ſit. Nos enim illi ſeruimus, ipſe temporibus. Ita nec ille, quid tempora poſtulatura ſint: nec nos, quid ille cogitet, ſcire poſſumus. Epiſt. eadem.

Dupliciter delectatus ſum tuis literis, & quod ipſe riſi, & quod te intellexi iam poſſe ridere. Me autem à te, vt ſcurram velitem, malis oneratum eſſe,

non moleſtè tuli. Illud doleo, in iſta loca venire me, vt conſtitueram, non potuiſſe: habuiſſes enim non hoſpitem, ſed contubernalem. At quem virum? Non eum, quem tu es ſolitus promulſide conficere. Integram famam ad ouum affero. Itaque vſque ad aſſum vitulinum opera perducitur. Illa mea quæ ſolebas antea laudare, ô hominem facilem! ô hoſpitem non grauem! abierunt. Nam omnem noſtram de Repub. curam, cogitationem de dicenda in ſenatu ſententia, commentationẽ cauſſarum, abiecimus. In Epicuri nos aduerſarij noſtri caſtra coniecimus: nec tamen ad hanc inſolentiam, ſed ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cùm mecum ſumptus habebas: etſi nunquam plura prædia habuiſti. Proinde te para: cum homine edaci tibi res eſt, & qui iam aliquid intelligat. Epiſt. 20.

Hæc igitur eſt nunc vita noſtra: manè ſalutamus domi & bonos viros multos, ſed triſtes, & hos lætos victores: qui me quidem perofficioſè, & peramanter obſeruant. Vbi ſalutatio defluxit, literis me inuoluo, aut ſcribo, aut lego. Veniunt etiam, qui me audiunt, quaſi doctum hominem, quia paulò ſum, quàm ipſi doctior. Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxi iam & grauiùs, & diutiùs, quàm vlla mater vnicum filium. Sed cura, ſi me amas, vt valeas: ne ego te iacente bona tua comedam. Statui enim tibi ne ægroto quidem parcere. Epiſt. eadem.

Heri veni in Cumanum: cras ad te fortaſſe. Sed cùm certum ſciam, faciam te paulò antè certiorem. Etſi Marcus Ceparius, cùm mihi in ſylua Gallinaria obuiam veniſſet, quæſiſſemque, quid ageres, dixit te in lecto eſſe, quòd ex pedibus laborares: tuli ſcilicet moleſtè, vt debui: ſed tamen conſtitui ad te venire, vt & viderem te, & viſerem, & cœnarem etiam.

Non

Non enim arbitror cocum etiam te arthriticum habere. Expecta igitur hoſpitem cùm minimè edacem, tum inimicum cœnis ſumptuoſis. Epiſt.23.

Sed mehercule, mi Pæte, extra iocum moneo te, quod pertinere ad beatè viuendum arbitror: vt cum viris bonis, iucundis, amantibus tui viuas. Nihil eſt aptius vitæ, nihil ad beatè viuendum accommodatiùs. Nec id ad voluptatem refero: ſed ad communitatem vitæ, atque victus, remiſſionémque animorũ, quæ maximè ſermone efficitur familiari, qui eſt in conuiuiis dulciſſimus. Epiſt. 24.

Cum M. Fabio (quod ſcire te arbitror) ſummus mihi eſt vſus: valdéque eum diligo, cùm propter ſummã probitatem eius, ac ſingularem modeſtiam, tum quòd in his controuerſiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis, optima opera eius vti ſoleo. Epiſt. 25.

Ex libro decimo.

Itaque mihi maximè curæ eſt, non de mea quidẽ vita, cui ſatisfeci, vel ætate, vel factis, vel (ſi quid etiam hoc ad rem pertinet) gloria: ſed me patria ſollicitat. Epiſt.1.

In iis autem rebus, quæ nihilominus, vt ego abſim, confici poſſunt: peto à te, vt tu rationem habere velis & ſalutis, & dignitatis meæ. Epiſt. 2.

Cùm ipſum Furnium per ſe vidi libentiſſimè, tum hòc libentius, quòd illum audiens, te videar audire. Nam in re militari virtutem, & in adminiſtranda prouincia iuſtitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit: & præterea mihi non ignotam in conſuetudine, & familiaritate ſuauitatem tuam adiunxit: præterea ſummam erga te liberalitatem. Quæ omnia mihi iucunda: hoc extremum etiam gratum fuit. Epiſt. 3.

Caue tempus amittas. Sic moneo, vt filium: ſic faueo, vt mihi: ſic hortor, vt & pro patria, & amiciſſimum. Epiſt. 5.

Crede igitur mihi Plance, omneis quos adhuc gradus dignitatis conſecutus ſis (es autem adeptus ampliſſimos) eos honorum vocabula habituros, nõ dignitatis inſignia, niſi te cum libertate Pop.Rom. & cũ ſenatus autoritate coniunxeris. Seiunge te quæſo aliquando ab iis, cum quibus te non tuum iudicium, ſed temporum vincula coniunxerunt. Epiſt. 6.

Ipſe ſi à Lepido non impediar, celeritate ſatisfaciam: ſin autem in itinere meo ſe oppoſuerit, ad tempus conſilium capiam. Copias adduco & genere, & numero, & fidelitate firmiſſimas. Epiſt. 9.

Sedulitas mea (vt ſpero) & mihi, & Reipublicæ tulit fructum. Nanque aſſiduis internuntiis cum Lepido egi, vt omiſſa omni contentione, reconciliataq; voluntate noſtra, communi cõſilio Reipublicæ ſuccurreret: ſe, liberos, vrbẽ pluris, quàm vnũ perditum, abiectumque latronem putaret: obſequióque meo ſi ita faceret, ad omneis res abuteretur. Profeci itaque per Laterenſem internuncium: fidem mihi dedit, ſe Antonium, ſi prohibere ſua prouincia non potuiſſet, bello perſecuturum. Epiſt. 15.

Ego eam ſententiam dixi, cui ſunt aſſenſi ad vnũ. Ea quæ fuerit, ex ſenatuſconſulto cognoſces. Ep. 16.

Quòd ſi omnia mihi integra & ipſe & fortuna ſeruauerit, recipio vobis celeriter me negotiũ ex ſententia cõfecturum. Fratrem meum aſſiduis laboribus, concurſionibuſque confectũ grauiter ſe habuiſſe, anteà tibi ſcripſi: ſed tamen cùm primùm poſſe ingredi cœpit, non magis ſibi, quàm Reipublicæ conualuiſſe ſe exiſtimás, ad omnia pericula princeps eſſe non recuſat: ſed ego eum non ſolùm hortatus ſum, verùm

etiam

etiam coëgi iſtò proficiſci. Epiſt. 17.

Sed mi Plãce incumbe,vt belli extrema perficias. In hoc erit ſumma & gratia,& gloria. Epiſt. 19.

Si, vt ſcripſiſti ad collegam, ita ſe res habet, omni cura liberati ſumus: nec tamen erimus priùs, quàm ita eſſe,tu nos feceris certiores. Epiſt. 20.

Nec depugnare, ſi occaſio tulerit: nec obſideri,ſi neceſſe fuerit: nec mori, ſi caſus inciderit, pro vobis paratior fuerit quiſquam.Quare hortor te mi Cicero, exercitum huc traiiciendum quàmprimum cures, & matures priùs, quàm hoſtes magis corroborentur, & noſtri perturbentur. In quo ſi celeritas erit adhibita,Reſpublica in poſſeſſione victoriæ, deletis ſceleratis,permanebit. Epiſt. 21.

In quo hanc capio voluptatem, quòd certè quò magis me petiuerunt, tantò maiorem his fruſtratio dolorem attulit. Tu mi Cicero, quod adhuc feciſti, idem præſta: vt vigilanter, neruoſéque nos,qui ſtamus in acie,ſubornes. Epiſt. 23.

Quòd viuit Antonius hodie, quòd Lepidus vnà eſt,quòd exercitus habent non contemnendos,quòd ſperant, quòd audent: id omne Cæſari acceptum referre poſſunt. Epiſt. 24.

Quamobrem ſi quid operis tibi etiam nũc reſtat, id maximopere cenſeo perſequendum. Epiſt. 25.

Sed tamen ſententiam meam tibi ignotã eſſe nolebam. Cuius eſt hæc ſumma, vt omnia te metiri dignitate malim, quàm ambitione: maiorémque fructum ponere in perpetuitate laudis,quàm in celeritate præturæ. Epiſt. eadem.

Mihi enim negotij plus reliquiſti vni, quàm præter me omnibus. Epiſt. 28.

Cæſarem verò, quòd me in tanta fortuna modò cognitũ vetuſtiſſimorum familiarium loco habuit,

dilexi ſumma cum pietate, & fide. Quæ mea ſententia gerere mihi licuit, ita feci, vt optimus quiſque maximè probarit. Quod iuſſus ſum eo tempore, id ita feci, vt appareret inuito imperatum eſſe. Epiſt. 31.

Abs te, mi Cicero, magnoperè peto, ſi meam vitã, & ſtudium diligentiſſimè ſuperioribus temporibus in Republica adminiſtranda, quæ Lepido digna ſunt, perſpecta habes, vt paria, aut eò ampliora reliquo tempore expectes: & proinde tua autoritate me tuendum exiſtimes: quò tibi plura tuo merito debeo. Epiſt. vltima.

Ex libro vndecimo.

Fallere nemo nos poteſt, niſi tu, quod certè abeſt à virtute tua & fide. Sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos: tibi enim vni credimus, & credituri ſumus. Epiſt. 2.

Vt principiis conſentiant exitus, tuum eſt hoc munus, tuæ partes. A te hoc ciuitas, vel omnes potiùs gentes non expectant ſolùm, ſed etiam poſtulant. Quanquam cùm hortatione non egeas, vt ſupra ſcripſi, non vtar ea pluribus verbis. Epiſt. 5.

Quamobrem ad omnia ita paratus, atque animatus eſſe debes, non vt nihil facias, niſi iuſſus: ſed vt ea geras, quæ ab omnibus ſumma cum admiratione laudentur. Epiſt. 7.

Coniunctio tua cum collega, concordiáque veſtra, quæ literis communibus declarata eſt, ſenatui, populóque Romano gratiſſima accidit. Quod ſupereſt, perge mi Brute: & iam non cum aliis, ſed tecum ipſe certa. Epiſt. 15.

Quod pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaque officia cogunt, vt timeam. Epiſt. 20.

Ego, niſi valde neceſſe fuerit, ex Italia non excedam. Epiſt. eadem.

Nos

Nos hîc valemus rectè: & quò meliùs valeamus, operam dabimus. Epiſt. 23.

Quæ tibi ſuperioribus literis mea manu ſcripſi, terrendi tui cauſſa homines loquuntur. Epiſt. eadé.

Crede mihi, niſi iſta omnia ita fiunt, quemadmodum ſcribo, magnum nos omnes adituros periculum. Rogo te, videte quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant. Et fide opus eſt, & celeritate. Epiſt. 26.

Ex libro duodecimo.

Reliqua magna ſunt, & multa, ſed poſita omnia ſunt in vobis: quanquam quid primùm explicemus, non videamus. Epiſt. 1.

Veſtri enim pulcherrimi facti ille furioſus me principem dicit fuiſſe. Vtinam quidem fuiſſem: moleſtus nobis non eſſet. Epiſt. 3.

Vellem idibus Martiis me ad cœnam inuitaſſes: reliquiarum nihil fuiſſet. Epiſt. 4.

Sed tu quid ageres, quid acturus, vbi denique eſſes, neſciebam. Fama nunciabat te eſſe in Syria: autor erat nemo. Epiſt. eadem.

Hyemem credo adhuc prohibuiſſe, quò minùs de te certum haberemus, quid ageres, maximéque vbi eſſes. Epiſt. 5.

Dixi de te quæ potui, tanta contentione, quantũ forum eſt: tanto clamore, conſenſúque populi, vt nihil vnquam ſimile viderim. Quod autem & in ſenatu pluribus verbis diſſerui, & dixi in concione, in eo velim fidem meam liberes. Epiſt. 7.

Te quidem magnum hominem, & præſenti iudicio, & reliqui temporis expectatione ſcito eſſe. Hoc tibi propoſito, fac vt ad ſumma contendas. Nihil eſt tantum, quod non populus Romanus à te perfici, atque obtineri poſſe iudicet. Epiſt. 8.

Nunc te cohortatione non puto indigere, vt nos abſentes, rémque publicam quantùm opus eſt, defendas. Epiſt. 11.

Hæc à te peto, non ſolũ Reipublicæ, quæ tibi ſemper fuit chariſſima: ſed etiam amicitiæ noſtræ nomine, quam confido apud te plurimũ poſſe. Epiſt. 12.

De noſtra dignitate velim tibi vt ſemper curæ ſit: & quocunque tempore occaſionem habueris, & in ſenatu, & in cæteris rebus laudi noſtræ ſuffragere. Epiſt. 14.

Ego porrò non mediusfidius cupiditate prouinciæ produci longius ſpatium mihi volo. Nam mihi fuit iſta prouincia plena laboris, periculi, detrimenti. Epiſt. eadem.

Athenas veni ad vndecimum calend. Iunij, atque ibi, quod maximè optabam, vidi filium tuum deditum optimis ſtudiis, ſummáque modeſtiæ fama. Qua ex re quantam voluptatẽ ceperim, ſcire potes etiam me tacente. Non enim neſcis, quanti te faciam, & quàm pro noſtro vetertimo, veriſſimóq; amore omnibus tuis etiã minimis commodis, non modò tanto bono, gaudeam. Noli putare mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adoleſcentę tuo, atque adeò noſtro (nihil enim mihi à te poteſt eſſe ſeiunctũ) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis ſunt, eſt: aut ſtudioſius earũ artium, quas tu maximè amas, hoc eſt, optimarũ. Itaq; tibi, quòd verè facere poſſum, libẽter quoq; gratulor, nec minùs etiam nobis: quòd eum, quẽ neceſſe erat diligere, qualiſcunque eſſet, talẽ habemus, vt libenter quoq; diligamus. Epiſt. 16.

Audiebam quædam turbulenta, quæ ſcilicet cupio eſſe falſa, vt aliquando otioſa libertate fruamur: quod vel minimè adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in nauigatione noſtra puſillum laxamenti,

concinnaui tibi munuſculum ex inſtituto meo. Epiſt. eadem.

Etſi periniquo patiebar animo te à me digredi, tamen eo tempore me conſolabar, quòd & in ſummum etiam otium te ire arbitrabar, & impendentibus magnis negotiis, diſcedere. Epiſt. 18.

Omnem conditionem imperij tui ſtatúmque prouinciæ mihi demonſtrauit Tratorius. O multa intolerabilia locis omnibus. Sed quò tua maior dignitas, eò, quæ tibi acciderunt, minùs ferenda. Neque enim, quæ tu propter magnitudinem & animi, & ingenij moderatè fers, à te non vlciſcenda ſunt, etiam ſi non ſint dolenda. Sed hæc poſteriùs. Epiſt. 23.

Rerum vrbanarũ acta tibi mitti certò ſcio: quod ni ita putarem, ipſe perſcriberem. Epiſt. 24.

Atque antehac quidem ſperare ſaltem licebat: nunc etiam illud ereptũ eſt. Equidem & hæc, & omnia quæ homini accidere poſſunt, ſic fero, vt philoſophiæ habeam magnam gratiam, quæ non modò me à ſolicitudine abducit, ſed etiam contra omnes fortunæ impetus armat. Tibique idem cenſeo faciendum, nec à quo culpa abſit, quicquam in malis numerandum. Sed hæc tu meliùs. Epiſt. eadem.

Te tamen hortor, vt omni cura in Rempublicam incumbas. Hoc eſt animi, hoc eſt ingenij tui, hoc eſt eius ſpei, quam habere debes amplificandæ dignitatis tuæ. Sed hac de re aliàs ad te pluribus. Epiſt. 25.

Quãquam admodum ſumus iam defatigati: ſed nulla laſſitudo impedire officium, & fidem debet. Verùm hæc hactenus. Ab aliis te de me, quàm à me ipſo malo cognoſcere. De te audiebamus ea quæ maximè vellemus: De Cu. Minutio, quem tu quibuſdam literis ad cælum laudibus extuliſti, rumores

duriores erant. Id quale ſit, omnino quid iſtic agatur, facias me velim certiorem. Epiſt. 26.

Ex libro tertiodecimo.

Velim, ſi qua offenſiuncula facta eſt animi tui; peruerſitate aliquorum (noui enim gentem illam) des te ad lenitatem, vel propter tuam ſummam humanitatem, vel etiam honoris mei cauſſa. Epiſt. 1.

Impedior verecundia, ne te pluribus verbis rogẽ. Neque tamen dubito, quin, ſi tua nihil, aut non multùm interſit, eo ſis animo, quo ego eſſem, ſi quid tu me rogares: Mihi certè gratiſſimum feceris. Epiſt. 2.

Sed hæc, quæ ſcripta ſunt ſupra, eò ſpectant, vt te horter, & ſuadeam. Reliqua ſunt, quæ pertinent ad rogandum: vt non ſolùm tua cauſſa tibi conſilium me dare putes, ſed etiam quod mihi opus ſit, me à te petere, & rogare. Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros, incolumeſque eſſe volueris. Epiſt. 4.

Pro tuo animo in me ſingulari, exiſtimaui me oportere ad te accuratiùs ſcribere: etſi non ſum neſcius, & quæ temporum ratio, & quæ tua poteſtas ſit: tibíque negotium datum eſſe à C. Cæſare, non iudicium, præclarè intelligo. Quare à te tãtùm peto, quantùm & te facere poſſe, & libenter mea cauſſa facturum eſſe arbitror. Et primùm velim exiſtimes, quod res eſt, municipij fortunas omnes in iſto vectigali conſiſtere: his autem temporibus hoc municipium maximis oneribus preſſum, ſummis affectum eſſe difficultatibus. Hoc etſi commune videtur eſſe cum multis, tamen (mihi crede) ſingulares huic municipio calamitates accidiſſe: quas idcirco non commemoro, ne de miſeriis meorum neceſſariorum conquerens, homines, quos nolo, videar offendere. Epiſt. 8.

Ego

Ego te planè rogo, atque ita, vt maiore ſtudio, iuſtiore de cauſſa, magis ex animo rogare nihil poſſim, vt Albino parcas, prædia Laberiana ne attingas. Magna me affeceris non modò lætitia, ſed etiam quodámodo gloria, ſi P. Sextius homini maximè neceſſario per me ſatisfecerit, cùm ego illi plurimum debeam.

Quod vt facias, te vehementer etiam, atque etiam rogo. Maius mihi dare beneficium nullum potes. Id mihi intelliges eſſe gratiſſimum. Epiſt. 9.

Nero meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorſus incredibiles, vt nullum honorem ſibi haberi potuiſſe diceret, qui à te prætermiſſus eſſet. Magnum fructum ex ipſo capies: nihil eſt enim illo adoleſcente gratius. Sed mehercule mihi quoque gratiſſimum feciſti. Pluris enim ex omni nobilitate neminem facio. Itaque ſi ea feceris, quæ ille per me tecum agi voluit, gratiſſimum mihi feceris. Epiſt. 65.

Ex libro decimoquarto.

Tu quòd me hortaris, vt animo ſim magno, & ſpem habeam recuperandæ ſalutis: id velim ſit eiuſmodi, vt rectè ſperare poſſimus. Nunc miſer quando tuas iam literas accipiam? quis ad me perferet? quas ego expectaſſem Brundusij, ſi eſſet licitum per nautas, qui tempeſtatem prætermittere noluerunt. Quod reliquum eſt, ſuſtenta te mea Terentia, vt potes. Honeſtiſſimè viximus: floruimus. Non vitium noſtrum, ſed virtus noſtra nos afflixit: peccatum eſt nullum, niſi quòd non vnà animam cum ornamentis amiſimus. Epiſt. 4.

Si tu, & Tullia lux noſtra valetis, ego, & ſuauiſſimus Cicero valemus. Pridie idus Octobris Athenas venimus, cùm ſanè aduerſis ventis vſi eſſemus, tardéque, et incommodè nauigaſſemus. De naui exeuntibus nobis, Achaſtus cum literis præſto fuit, vno & vigeſimo

vigeſimo die, ſanè ſtrenuè. Epiſt. 5.

Pollucem, ſi adhuc non eſt profectus, quamprimùm fac extrudas. Epiſt. 6.

Statim ita ſum leuatus, vt Deus mihi aliquis medicinam feciſſe videatur. Cui quidem tu Deo, quemadmodum ſoles, piè & caſtè ſatisfacias, id eſt, Apollini, & Æſculapio. Epiſt. 7.

Si vales, benè eſt: ego quidẽ valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentiſſimè. Nam mihi & ſcriptum, & nunciatum eſt, te in febrim ſubitò incidiſſe. Quòd celeriter me feciſti de Cæſaris literis certiorem, feciſti mihi gratum. Item poſthac, ſi quid opus erit, ſi quid acciderit noui, facies vt ſciam. Cura vt valeas. Epiſt. 8.

Da operam vt conualeſcas. Quod opus erit, vt res tempúſque poſtulat, prouideas, atque adminiſtres: & ad me de omnibus rebus, quàm ſæpiſſimè literas mittas. Epiſt. 21.

Nos quotidie tabellarios veſtros expectamus: qui ſi venerint, fortaſſe erimus certiores, quid nobis faciendum ſit, faciemúſque te ſtatim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Epiſt. 22.

Ex libro quintodecimo.

Summa tua autoritas fecit, meúmque perpetuum de tua ſingulari virtute iudicium, vt magni mea intereſſe putarem, & res eas, quas geſſiſſem, tibi notas eſſe, & non ignorari à te qua æquitate, & continẽtia tuerer ſocios, prouinciámque adminiſtrarem. His enim à te cognitis, arbitrabar faciliùs me tibi, quæ vellem, probaturum. Epiſt. 4.

Idque, etſi talibus de rebus grauiſſimos homines & rogare ſolere, & rogari ſcio: tamen admonendum potiùs te à me, quàm rogãdum puto. Epiſt. eadem.

Si mihi tecum minùs eſſet, quàm eſt cum tuis omnibus

omnibus, allegaré ad te illos, à quibus intelligis me præcipuè diligi. Patris tui beneficia in me ſunt ampliſſima: neque enim ſaluti meæ, neque honori amicior quiſquam dici poteſt. Frater tuus quanti me faciat, ſempérque fecerit, eſſe hominem, qui ignorat, arbitror neminé. Domus tua denique tota me ſemper omnibus ſummis officiis proſecuta eſt. Neque verò tu in me diligendo cuiquam conceſſiſti tuorum. Quare à te peto maiorem in modum, vt me per te quàm ornatiſſimum velis eſſe: meámque & in ſupplicatione decernenda, & in cæteris rebus exiſtimationem ſatis tibi eſſe commendatam putes. Epiſt. 10.

Non audeo vehementer à te contendere, ne aut ipſe tuæ perpetuæ conſuetudinis ergà me oblitus eſſe videar, aut te oblitum putem. Quare vt te velle arbitror, ita faciam: atque ab eo, quem omnes gentes ſciunt de me optimè meritum, breuiter petam. Epiſt. 13.

De Fabio faciemus ſtudioſè, quæ rogas. Tu multis de cauſſis vellem me conuenire potuiſſes: primũ, vt te, qué iamdiu plurimi facio, tanto interuallo viderem: deinde, vt tibi, quod feci per literas, poſſem præſens gratulari: tum, vt quibus de rebus vellemus, tu tuis, ego meis inter nos cõmunicaremus. Poſtremò, vt amicitia noſtra, quæ ſummis officiis ab vtroque culta eſt, ſed lõgis interuallis temporũ interruptã conſuetudinem habuit, confirmaretur vehementius. Id quando non accidit, vtemur bono literarum, & eadem ferè abſentes, quæ ſi coràm eſſemus, cõſequemur. Vnus ſcilicet ille fructus, qui in te videndo eſt, percipi literis non poteſt. Alter gratulationis eſt, & is quidé exilior, quàm ſi tibi, teipſum intuens, gratularer. Sed tamen & feci antè, & facio nunc. Epiſt. 14.

Tertium

Tertium eſt, vt id, quod de noſtris rebus coràm communicaſſemus inter nos, conficiamus idem literis. Epiſt. eadem.

Ex libro decimo ſexto.

Te penitus rogo, ne te tam longæ nauigationi, & viæ per hyemem, niſi benè firmum, committas: néue nauiges, niſi exploràtè. Vix in ipſis tectis, & oppidis frigus infirma valetudine vitatur, nedum in mari, & via ſit facilè abeſſe ab iniuria temporis. Frigus macilento corpori inimiciſſimum eſt, inquit Euripides. Cui tu quantum credas, neſcio: ego certè ſingulos eius verſus, ſingula teſtimonia puto. Epiſt. 8.

Nos à te, vt ſcis, diſceſſimus ad quartum nonas Nouembris, Leucadem venimus ad octauum idus Nouembris, ad ſeptimum Actium. Ibi propter tempeſtaté, ad ſextum idus morati ſumus. Inde ad quintum idus Corcyram belliſſimè nauigauimus. Corcyræ fuimus vſque ad ſextum decimum calendas Decembris tempeſtatibus retenti. Ad duodecimum calendas Decembris à portu Corcyræorum, ad Caſſiopem ſtadia centum viginti proceſſimus. Ibi retenti ventis ſumus vſque ad nonum calendas. Intereà qui cupidè profecti ſunt, multi naufragia fecerunt. Nos eo die cœnati ſoluimus, inde auſtro leniſſimo, cœlo ſereno, nocte illa, & die poſtero in Italiam ad Hydruntem ludibundi peruenimus: eodémque vento poſtridie Brunduſium venimus. Epiſt. 9.

Sed tamen Aſclepo medicus planè confirmat, propediem te valentem fore. Nunc equidem ego te hortor, vt omnem diligentiam adhibeas ad conualeſcendum. Tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me noui. Scio te omnia facturum, vt nobiſcum quamprimúm ſis. Sed tamen ita velim, vt ne quid properes. Solent nautæ feſtinare quæſtus ſui cauſſa.

Cautus

Cautus ſis, mi Tyro. Mare magnum, & difficile tibi reſtat. Si poteris, cum Meſcinio, cautè is ſolet nauigare: Sin minus, cum honeſto aliquo homine, cuius autoritate nauicularius moueatur. In hoc omnem diligentiam ſi adhibueris, téque nobis incolumem præſtiteris, omnia à te habebo. Etiam, atque etiam noſter Tyro vale. Medico Curio Lyſoni de te ſcripſi diligentiſſimè. Epiſt. eadem.

Expecto tuas literas de multis rebus, teipſum multò magis. Demetrium redde noſtrum, & aliud ſi quid potes boni. De Aufidiano nomine nihil te hortor: ſcio tibi curæ eſſe, ſed confice. Et, ſi ob eam rem moraris, accipio cauſſam: ſi te id non tenet, aduola. Literas tuas valde expecto. Vale.

SENTENTIÆ, PROVERBIA, ET *exempla, ad cuiuſcunque generis epiſtolas edendas, generaliter, ac ſparſim ſpectantia.* *Cap. 12.*

Ex libro primo.

IN hac ratione quid res, quid cauſſa, quid tempus ferat, facillimè, optiméque perſpicies: quid nobis placuiſſet, ex me potiſſimùm putaui te ſcire oportere. Epiſt. 7.

Itaque tota iam ſapientium ciuium, qualem me & eſſe, & numerari volo, & ſententia, & voluntas mutata eſſe debet. Id enim iubet idem ille Plato, quē ego autorem vehementer ſequor, Tantum contendere in Republica, quantum probare tuis ciuibus poſſis. Vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere. Epiſt. 9.

Nam neque pugnandum arbitrarer contra tantas opes: neque delendum, etiam ſi id fieri poſſet, ſummorum ciuium principatum: neque permanendum in vna ſententia conuerſis rebus, ac bonorum voluntatibus immutatis, ſed temporibus aſſentiendum. Nunquam enim præſtantibus in Republica gubernanda viris laudata eſt in vna ſententia perpetua permanſio. Sed, vt in nauigando tempeſtati obſequi artis eſt, etiam ſi portum tenere nequeas: cùm verò id poſſis, mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quem cœperis, potiùs, quàm eo commutato, quò velis tandem peruenire: ſic cum omnibus nobis in adminiſtranda Republica propoſitũ eſſe debeat, id quod à me ſæpiſſimè dictum eſt, cũ dignitate otium: non idem ſemper dicere, ſed idem ſemper ſpectare debemus. Epiſt. eadem.

Ex libro ſecundo.

Dux nobis, & autor opus eſt, & eorum ventorũ, quos propoſui, moderator quidam, & quaſi gubernator: qui ſi ex omnibus vnus exoptandus eſſet, quẽ tecum conferre poſſemus, non haberemus. Epiſt. 5.

Putares ne vnquam accidere poſſe, vt mihi verba deeſſent, neque ſolùm iſta veſtra oratoria, ſed hæc etiam leuia noſtratia. Epiſt. 10.

Vrbem mi Rufe cole; & in iſta luce viue. Omnis enim peregrinatio (quod ego ab adoleſcentia iudicaui) obſcura, & ſordida eſt iis, quorum induſtria Romæ poteſt illuſtris eſſe. Quod cùm probè ſcirem, vtinam in ſententia permanſiſſem. Cum vna mehercule ambulatiuncula, atq; vno ſermone noſtro, omnes fructus prouinciæ non confero. Epiſt. 11.

Hæc ego pluribus ſcripſi, quòd mihi ſignificabãt tuæ literæ ſubdubitare, qua eſſem erga illum voluntate. Credo te audiſſe aliquid: falſum eſt, mihi crede, ſi quid

ſi quid audiſti. Nihil autem feci vnquam, neque dixi, quod contra illius exiſtimationem eſſe vellem. Epiſt. 12.

Miro deſiderio me vrbs afficit; & omnes mei, tuque in primis. Epiſt. eadem.

Non me iſta terrent, quæ mihi à te ad timorem fidiſſimè, atq; amantiſſimè proponuntur. Epiſt. 15.

Ex libro tertio.

Equidem pro eo quanti te facio, quicquid feceris, approbabo. Sed te quoq; confido ea eſſe facturum, quæ mihi intelliges maximè eſſe accõmodata. Epi.3.

Si quid nunc me fallit in ſcribendo (procul enim abſum ab re ipſa, & locis) ſimul ac progredi cœpero, quàm celerrimis potero, & quàm creberrimis literis faciam, vt tibi nota ſit omnis ratio dierum, atque itinerum meorum. Oneris tibi imponere nec audeo quicquam nec debeo. Epiſt. 5.

Veruntamen plùs me in hac ſpe, tua ſapientia, & humanitas cõſolatur, quàm opportunitas temporis. Itaque quemadmodum expediam exitum huius inſtitutæ orationis, non reperio. Epiſt. 12.

Ex libro quarto.

Nemo eſt omnium, quicum potiùs mihi, quàm tecum communicandum putem. Nec enim clariſſimorum virorum, quorũ ſimiles eſſe debemus, exempla: neq; doctiſſimorum, quos ſemper coluiſti, præcepta te fugiunt. Epiſt. 1.

Nam quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant: ſed & aliquid, atque adeò multa addunt, & afferunt de ſuo. Epiſt. 3.

Nónne mauis ſine periculo domi tuæ eſſe, quàm cum periculo alienæ? Equidem etiam, ſi oppetenda mors eſſet, domi, atque in patria mallem, quàm in externis, atque alienis locis. Epiſt.7.

Iiſdem igitur de rebus etiam, atque etiam hortor, quibus ſuperioribus literis hortatus ſum: vt in ea Republica, quæcunque eſt, quamprimum velis eſſe. Multa videbis fortaſſe, quæ nolis: non plura tamen, quàm audis quotidie. Non eſt porrò tuum vno ſenſu ſolùm oculorum moueri: cùm illud idem auribus percipias, quod etiam maius videri ſolet, minus laborare. At tibi ipſi dicendum erit aliquid, quod non ſentias: aut faciendum quod non probes. Primùm tempori cedere, id eſt, neceſſitati parêre, ſemper ſapientis eſt habitum: deinde, non habet, vt nunc quidem eſt, id vitij res. Dicere fortaſſe, quæ ſentias, non licet: tacere planè licet. Epiſt. 9.

Omnia ſunt miſera in bellis ciuilibus: quæ maiores noſtri ne ſemel quidem, noſtra ætas ſæpe iam ſenſit. Sed miſerius nihil eſt, quàm ipſa victoria: quæ etiam ſi ad meliores venit, tamen eos ipſos ferociores, impotentioréſque reddit: vt, etiam ſi natura tales non ſint, neceſſitate eſſe cogantur. Multa enim victori eorum arbitrio, per quos vicit, etiam inuito, facienda ſunt. Epiſt. eadem.

Sapientis eſt carere patria, duri non deſiderare: & ſi Republica non poſſis frui, ſtultum eſt nolle priuata. Epiſt. eadem.

Sæpius mihi veniebat in mentem, queri, quòd ita viuerem, quàm gaudere, quòd viuerem. Epiſt. 13.

Ex libro quinto.

Non enim ignoro, quàm impudenter faciam, qui primùm tibi tantum oneris imponam. Poteſt enim mihi denegare occupatio tua. Epiſt. 12.

Qui ſemel verecundiæ fines tranſierit, eum benè, & grauiter oportet eſſe impudentem. Epiſt. eadem.

Neque ita feci, vt te ad meum arbitrium adducerem: ſed tribui tibi tantùm, quantùm me tribuiſſe nunquam

nunquam pœnitebit. Epiſt. 20.

Tibi perſuade, præter culpam, ac peccatum, quo ſemper caruiſti & carebis, homini accidere nihil poſſe, quod ſit horribile, aut pertimeſcendũ. Ep. vltima.

Ex libro ſexto.

Si enim bene ſentire, rectéque facere, ſatis eſt ad benè, beatéque viuendum: non vereor, ne eum, qui ſe optimorum conſiliorum conſcientia ſuſtentare poſſit, miſerum eſſe, nefas ſit dicere. Epiſt. 1.

Simus igitur ea mente, quam ratio, & veritas præſcribit, vt nihil in vita nobis præſtandum præter culpam putemus: eáque cùm careamus, omnia humana placatè & moderatè feramus. Atque hæc eò pertinet oratio, vt perditis rebus omnibus, tamen ipſa virtus ſe ſuſtentare poſſe videatur. Epiſt. eadem.

Ita enim viuere, vt non ſit viuendum, miſerrimũ eſt: mori autem nemo ſapiens miſerum duxit, ne beato quidem. Sed in ea es vrbe, in qua hæc vel plura, & ornatiora parietes ipſi loqui poſſe videantur. Ego tibi hoc confirmo, & ſi leuis eſt conſolatio ex miſeriis aliorum, nihilo te nũc maiore in diſcrimine eſſe, quàm quemuis, aut eorum qui diſceſſerint, aut eorùm qui remanſerint: alteri enim dimicant: alteri victoriam timent. Epiſt. 3.

Leuat autem dolorem communis quaſi legis, & humanæ conditionis recordatio. Epiſt. 6.

Quemadmodum igitur ſcalarum gradus ſi alios tollas, alios incîdas, nonnullos malè hærentes relinquas, ruinæ periculum ſtruas, non aſcenſum pares: ſic tot malis tum victum, tum fractum ſtudium ſcribendi, quid dignum auribus, aut probabile poteſt afferre? Epiſt. 7.

Eſt tuæ ſapientiæ, magnitudiniſque animi, quid amiſeris, obliuiſci: quid recuperaueris, cogitare. Vi-

ues cum tuis, viues nobiſcũ. Plus acquiſiuiſti dignitatis, quàm amiſiſti rei familiaris. Epiſt. 11.

Ex libro ſeptimo.

In quibus ipſe Pompeius confitetur ſe & operá, & oleum perdidiſſe. Epiſt. 1.

Vetus eſt enim, vbi non ſis, qui fueris, non eſſe, cur velis viuere. Sed tamen vacare culpa, magnum eſt ſolatium: præſertim cùm habeam duas res, quibus me ſuſtentem, optimarum artium ſcientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi viuo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem. Epiſt. 3.

Cn. Octauius tuus familiaris, ſummo genere natus, terræ filius, is me, quia ſcit tuum familiarem eſſe, crebrò ad cœnam inuitat, adhuc non potuit perducere: ſed mihi tamen gratum eſt. Epiſt. 9.

Veruntamen rideamus licet: ſum enim à te inuitatus. Epiſt. 10.

Sed quonam modo ius ciuile defendes, cùm omnia tua cauſſa facias, non ciuium? Vbi porrò illa erit formula fiduciæ: Inter bonos benè agier oportet? Quis enim eſt bonus, qui facit nihil, niſi ſua cauſſa? Epiſt. 12.

Sed hæc iocati ſumus, & tuo more, & nonnihil etiam noſtro. Epiſt. 14.

In equo Troiano ſcis eſſe in extremo: Serò ſapiũt Phryges. Epiſt. 16.

Eum librũ tibi miſi Rhegij ſcriptum, quàm pleniſſimè res ipſa ſcribi potuit. Sin tibi quædam videbuntur obſcuriora, cogitare debebis, nullam artem in literis ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione percipi poſſe. Epiſt. 20.

Sed valebis, meáque negotia videbis, méque Diis iuuantibus, ante brumam expectabis. Epiſt. 21.

 Illu-

Illuſeras heri inter ſcyphos, quòd dixeram cõtrouerſiam eſſe, poſſétne hæres, quod furtum anteà factum eſſet, rectè furti agere. Itaque & ſi domi benè potus, feroque redieram, tamen id caput, vbi hæc controuerſia eſt, notaui, & deſcriptum tibi miſi: vt ſcires id, quod tu neminem ſenſiſſe dicebas, Sextum Ælium, M. Manilium, M. Brutum ſenſiſſe. Ego tamen Scæuolæ, & Teſtæ aſſentior. Epiſt. 23.

Sed pauca de re: Capius (opinor) olim, Non omnibus dormio: ſic ego non omnibus mi Galle ſeruio: etſi quæ eſt hæc ſeruitus? Epiſt. 25.

Quamquàm hæc etiã auditu acerba ſunt: tamen audire tolerabiliùs eſt, quàm videre. Epiſt. 31.

Id enim cuiuſque eſt proprium, quo quiſq; fruitur, atque vtitur. Epiſt. eadem.

Ex libro octauo.

Poſtquam diſceſſit, & pro abſoluto Seruilius haberi cœptus, legíſque vnum & centeſimum caput legit, in quo ita erat: Quod eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius ratum eſto: in tabulas abſolutum non retulit, ordinum iudicia perſcripſit. Epiſt. 8.

Non diu, ſed acriter nos tuæ ſupplicationes torſerunt. Incideramus enim in difficilem nodum. Epiſt. 12.

Ex libro nono.

Quod ego cur nolim, nihil video. Non enim eſt idem, ferre, ſi quid ferendum eſt: & probare, ſi quid probandum non eſt: & ſi quid non probem quidem, neſcio, præter initia rerum. Nam hæc in voluntate fuerunt. Epiſt. 6.

Quis enim hoc non dederit nobis, vt cùm opera noſtra patria ſiue non poſſit vti, ſiue nolit, ad eam vitam reuertamur, quam multi docti homines fortaſſe non rectè, ſed tamen multi etiã Reipublicæ præ-

ponendam putauerunt? Epiſt. eadem.

Facillimum erit ab eo tibi Ipſi impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum autoritatis habituras puto. Epiſt. 9.

Ita fit, vt ſuperiorum conſiliorum conſcientia, & præſentis temporis moderatione me conſoler: & aliã Accij ſimilitudinem non modò iam ad inuidiam, ſed ad fortunam transferam: quam exiſtimo leuem & imbecillem, ab animo firmo, & graui, tanquam fluctum à ſaxo frangi oportere. Epiſt. 16.

Extremum illud eſt, quod tu neſcio an primùm putes: plurus iam pauones confeci, quàm tu pullos columbinos. Tu iſtic te Atteriano iure delectato: ego me hic Hirciano. Epiſt. 18.

Et quidem iam, non iam obſcœna verba pro obſcœnis ſunt: batuit, inquit, impudẽter, depreſſit multò impudentius. Atqui neutrum eſt obſcœnum: ſtultorum plena ſunt omnia. Epiſt. 22.

Ex libro decimo.

Non eſt ignotus mihi ſenſus tuus: neque ſi facultas optabilis mihi quidem tui præſentis eſſet, nunquam à tuis conſiliis diſcreparem: nec nunc committam, vt vllum meum factum reprehendere iure poſſis. Epiſt. 4.

Is denique honos mihi videri ſolet, qui non propter ſpem futuri beneficij, ſed propter magna merita claris viris defertur, & datur. Epiſt. 10.

Is autem, qui verè appellari poteſt honos, non inuitamentum ad tempus, ſed perpetuæ virtutis eſt præmium. Epiſt. eadem.

Perge igitur, vt ais, noménque tuum commenda immortalitati: atque hæc omnia, quæ habent ſpeciem gloriæ, collecta ex inaniſſimis ſplendoris imaginibus, contemne: breuia, fugacia, & caduca exiſtima.

ma. Verum decus in virtute poſitum eſt, quæ maximè illuſtratur magnis in Rempublicam meritis. Epiſt. 12.

Eſt autem non minus gratum extrema delere, quàm prima depellere. Epiſt. 14.

Sed non poſſum non exhorreſcere, ſi quid intra cutem ſubeſt vulneris, quod priùs nocere poteſt, quàm ſciri, curaríque poſſit. Epiſt. 18.

Nunc verò etiam iam erroris cauſſa ſublata eſt. Culpa enim illa, Bis ad eundem, vulgari reprehenſa prouerbio eſt. Epiſt. 20.

Ex libro vndecimo.

Succurret fortaſſe hoc loco alicui veſtrum, cur nouiſſimum tempus expectemus potiùs, quàm nunc aliquid moliamur: quia vbi conſiſtamus, non habemus. Epiſt. 1.

Id ſi ita eſt, omnia faciliora: ſin aliter, magnum negotium: cuius exitum ne extimeſcam, tuæ partes ſunt. Ego plùs, quàm feci, facere non poſſum. Te tamen, id quod ſpero, omnium maximum, & clariſſimum videre cupio. Epiſt. 14.

Hoc cùm populus Romanus meminit, meipſum non meminiſſe turpiſſimum eſt. Epiſt. 16.

Vetuſtas habet aliquid commune cum multis: amor non habet. Epiſt. 27.

Nunquam enim honeſtam mortem fugiendam, ſæpe etiam appetendam putaui. Epiſt. 28.

Ex libro duodecimo.

Sed immoderatè quidam, & ingratè noſtra facilitate abutuntur. Verùm hæc propediem, & multa alia coràm. Epiſt. 1.

Sed homo amens, & perditus, multóque nequior, quam ille ipſe, quem tu nequiſſimum occiſum eſſe dixiſti, cædis initium quærit. Epiſt. 2.

Sed hæc tolerabilia, illud non ferendum quidem eſt. Epiſt. eadem.

Sed hæc meliùs ex re, & ex tempore conſtitues. Mihi quidem vſque curæ erit quid agas, dum quid egeris ſciero. Epiſt. 19.

Panſa & ſentit benè, & loquitur fortiter. Hirtius noſter tardiùs conualeſcit. Quid futurum ſit, planè neſcio. Spes tamen eſt vna, aliquando populum Romanum maiorum ſimilem fore. Epiſt. 22.

Ex libro decimoquinto.

Ea eſt profectò iucunda laus, quæ ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerunt. Epiſt. 6.

Sed ita fato neſcio quo contigiſſe arbitror, vt tibi ad me ornandum ſemper detur facultas: mihi ad remunerandum nihil ſuppetat, præter voluntatem. Epiſt. 13.

Sed ea ſunt conſecuta, vt magis mirum ſit accidere illa potuiſſe, quàm nos non vidiſſe ea futura: nec cùm homines eſſemus, diuinare potuiſſe. Epiſt. 15.

SENTENTIÆ, SEV SCRIBENDI *Formulæ, ad artificioſas epiſtolarum concluſiones formandas, ſpectantes.*

Cap. 13.

Ex libro primo.

A Me omnia ſumma in te ſtudia, officiaque expecta, non fallam opinionem tuam. Epiſt. 6.

Tu me de tuis rebus omnibus, & de Lentuli tui, noſtrique ſtudiis, & exercitationibus velim quàm familiariſſimè certiorem, & quàm ſæpiſſimè facias: exiſtimeſque neminé cuiquam, neq; chariorem,

tiorem, neque iucundiorem vnquam fuiſſe, quàm te mihi. Idque me non modò vt tu ſentias, ſed vt omnes gentes, etiam vt poſteritas omnis intelligat, eſſe facturum. Epiſt. 10.

Ex libro ſecundo.

Tu velim ad me de omni Reipublicæ ſtatu quàm diligentiſſimè perſcribas: ea enim certiſſima putabo, quæ ex te cognouero. Epiſt. 10.

Ego res Romanas vehemẽter expecto, & deſidero: imprimíſque quid agas, ſcire cupio: nam iamdiu propter hyemis magnitudinem, nihil noui ad nos afferebatur. Epiſt. 14.

Ex libro tertio.

Hæc ad te ſcripſi liberiùs, fretus conſcientia officij mei, beneuolentiæque, quam à me certo iudicio ſuſceptam, quoad tu voles, conſeruabo. Epiſt. 7.

Hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodũ oſtendis: méque totum, & mea, & meos commendatos habebis. Epiſt. 9.

Ex libro quarto.

Exploratum habeo, quicquid nos communi ſententia ſtatuerimus, id omnes homines probaturos. Epiſt. 1.

Sed plura quàm ſtatueram. Redeo ergo ad vnum illud: me tuum fore cum tuis, ſi modò erunt tui: ſin minùs, me certè in omnibus rebus ſatis noſtræ coniunctioni, amoríque facturum. Epiſt. 8.

Tuum eſt conſulere temporibus, & incolumitati, & vitæ, & fortunis tuis. Epiſt. 9.

Putaui ea de re, te eſſe admonendum. Sed quoniam quod mihi placeret, oſtendi: reliqua tu pro tua prudentia conſiderabis. Me tamen velim, quod ad tẽpus te expectemus, certiorem facias. Epiſt. 10.

Tu verò vt intelligas, homini amiciſſimo te tribuiſſe officium

officium, re tibi præſtabo. Epiſt. 11.

Sed hæc tu meliùs, vel optimè omnium. Ego quæ pertinere ad te intelligam, ſtudioſiſſimè omnia, diligentiſſiméque curabo: tuorúmque triſtiſſimo meó tempore meritorum erga me, memoriam conſeruabo. Epiſt. 13.

Tu velim & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quàm diligentiſſimè certiorem. Epiſt. 14.

Quapropter eo animo ſimus inter nos, quo ſemper fuimus. Quod de te ſperare, de me præſtare poſſum. Epiſt. vltima.

Ex libro quinto.

Si poteris, velim priſtinam tuam erga me voluntatem conſerues. Epiſt. 3.

Tecúmque & ero tantùm, quantùm patietur vtriúſque ætas, & valetudo: &, ſi eſſe vnà minùs poterimus, quàm volumus: animorum tamen coniunctione iiſdem ſtudiis ita fruemur, vt nunquam non vnà eſſe videamur. Epiſt. 13.

Tu ſi quid ad me fortè ſcripſeris, perficiam, ne te fruſtrà ſcripſiſſe arbitrere. Epiſt. 17.

Ego ſi videbitur rectè fieri poſſe, ad te veniam breui: ſi quid acciderit, vt mutandum conſilium ſit, te certioré faciam ſtatim. Tu ita fac cupidus mei vidēdi ſis, vt iſtinc te ne moueas tam infirma valetudine, niſi ex me priùs quæſieris per literas quid te velim facere. Me velim, vt facis, diligas, valetudiníque tuæ, & tranquillitati animi ſeruias. Epiſt. vltima.

Ex libro ſexto.

Tu velim ſcribas ad me, quid agas, & vbi futurus ſis: vt aut quò ſcribam, aut quò veniam, ſcire poſſim. Epiſt. 2.

Mihi tu, tui, tua omnia maximè curæ ſunt, &, dum viuam, erunt. Epiſt. 3.

Tu

Tu cura, vt cùm fortitudine animi tui te, tum etiam ſpe optimorum ſuſtentes. Epiſt.6.

Caue dubites,quin omnia de ſalute,ac reditu tuo perfecta ſint. Epiſt.12.

Hìc tui omnes valent, ſummáque pietate te deſiderant,& diligunt, & colunt. Tu cura,vt valeas,& te iſthinc ne temerè commoueas. Epiſt. 20.

Ex libro ſeptimo.

Cura igitur, vt valeas, & me hoc biduo, aut triduo expecta. Epiſt.4.

Cura,vt valeas,& me,vt amas,ama. Epiſt. 5.

De eo quid ſit,cura,vt ſciam.Ego veſtras Britannicas expecto. Epiſt. 8.

Quare omnibus de rebus fac quàmprimũ ſciam: aut conſolando, aut conſilio,aut re iuuero.Epiſt.10.

Scribe aliquando ad nos, quid agas: & à nobis quid agi,quid fieri,aut curari velis. Epiſt.11.

Tu ad me de iſtis rebus omnibus ſcribas velim quàm diligentiſſimè. Epiſt.13.

Te valde amamus, nóſque à te amari tum volumus, tum etiam confidimus. Epiſt.14.

Nihil te ad me poſteà ſcripſiſſe demiror, præſertim tam nouis rebus. Epiſt.19.

Reliquam ſpem nullam video: quare ad prima redeo. Sapienter hæc reliquiſti, ſi conſilio: feliciter, ſi caſu. Epiſt.29.

Nam eſt homo non ingratus,méque vehementer obſeruat.Ad eum de te diligentiſſimè ſcripſi: eámque epiſtolam cum hac coniunxi: quam ille quando acceperit,ecquid tibi pollicitus ſit,velim ad me ſcribas. Epiſt.31.

Tu velim poſthac ſic ſtatuas, tuas mihi literas longiſſimas quaſque,gratiſſimas fore.Epiſt. vltima.

Ex libro octauo.

A te peto, vt meas iniurias perinde doleas, vt me exiſtimas & dolere, & tuas vlciſci ſolere. Epiſt. 13.

Etiá atque etiam mi Cicero, cogita, ne te, tuóſque omnes funditus euertas: ne te ſciens, prudénſque eò demittas, vnde exitum vides nullum eſſe. Epiſt. 17.

Ex libro nono.

Tu quid ſis acturus, & quid tibi placeat, pergratum erit, ſi ad me ſcripſeris. Epiſt. 2.

Faciam ergo illud, quod rogatus ſum, vt eorum quæ temporis huius ſint, quæ tua intereſſe audiero, ne quid ignores. Epiſt. 6.

Sed tamen ſi ſciam, quid tu conſtitueris, meum cõſilium potiſſimùm accommodabo ad tuum: quare expecto tuas literas. Epiſt. 7.

Erit tuæ quoque fidei, & humanitatis, curare, vt is tabellarius, quem ad te miſi, reuerti poſſit ad me: & à te mihi literas referat. Epiſt. 9.

Tu velim animo ſapienti, fortique ſis: vt tua moderatio, & grauitas, aliorum infamet iniuriam. Epiſt. 12.

Tu velim, vt ſcribis, cum fabris eam perſpicias. Si enim nihil eſt in parietibus, aut in tecto vitij, cætera mihi probabuntur. Epiſt. 15.

Tu tamen pro tua ſapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt. Epiſt. 17.

Me quotidie aliud ex alio impedit. Sed ſi me expediero, vt in iſta loca venire poſſim: nõ committam, vt te ſerò à me certiorem factum putes. Epiſt. 19.

Sed cura, ſi me amas, vt valeas: ne ego te iacente, bona tua comedam. Statui enim tibi ne ægroto quidem parcere. Epiſt. 20.

Ex libro decimo.

Hoc tantùm ſignificandũ putaui: vt potiùs amorem

rem tibi oſtenderem meum, quàm oſtentarem prudentiam. Intereà, quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudioſè, diligenterq; curabo. Epiſt. 3.

Quòd ſi perinde, vt ipſe mereor mihi ſucceſſerit, certè & tibi, cui maximè cupio, & omnibus viris bonis ſatisfaciam. Fac valeas, meque mutuò diligas. Epiſt. 4.

In illam igitur curam incumbe, mi Plance, vt ne qua ſcintilla teterrimi belli relinquatur. Quod ſi erit factum, & Rempublicam diuino beneficio affeceris, & ipſe æternam gloriam conſequêre. Epiſt. 14.

Fac valeas, meque mutuò diligas, dignitatéque meam, ſi mereor, tuearis, ſicut adhuc ſingulari cum beneuolentia feciſti. Epiſt. 17.

Literas tuas vehementer expecto, & quidem tales, quales maximè opto. Epiſt. 22.

Tu, vt inſtituiſti, me diligas rogo, propriéq; tuum eſſe tibi perſuadeas. Epiſt. 24.

Ex libro vndecimo.

Magnam enim inuidiam iis faceremus. Nihil tamen non poſtulandum putaui, quod æquum eſſe ſtatueram. Epiſt. 1.

Cum primùm de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis ita, ſi me hoc idem in te facere ſenſeris. Epiſt. 10.

Maleuolentiæ hominũ in me, ſi poteris, occurres: ſi non poteris, hoc te conſolabere, quòd me de ſtatu meo nullis contumeliis deterrere poſſunt. Epiſt. 11.

Hoc quam habeat vim, te exiſtimare malo, quam me apertiùs ſcribere. Epiſt. 12.

Ego plus, quàm feci, facere non poſſum. Te tamẽ, id quod ſpero, omnium maximum, & clariſſimum videre cupio. Epiſt. 14.

Plura ſcribere non debeo, præſertim ad te, quo magi-

magiſtro breuitatis vti cogito. Epiſt. 15.

Ad has literas ſtàtim mihi reſcribe, tuorúmque aliquem mitte, ſi quid reconditum magis erit, méque ſcire opus eſſe putaris. Epiſt. 20.

Si quid erit occultius, & (vt ſcribis) reconditum, meorum aliquem mittam, quò fideliùs ad te literæ perferantur. Epiſt. 21.

Ex libro duodecimo.

Ego tuis neque deſum, neque deero: qui ſiue ad me referent, ſiue non, mea tibi tamen beneuolentia, fidéſque præſtabitur. Epiſt. 2.

Et tamen me quidem fauente magis, quàm ſperante, etiam nunc reſidet ſpes in virtute tua. De reliquo, malo teipſum loqui tecum, quàm dicta noſtra cognoſcere. Epiſt. 3.

Scriberem plura, ſi rem, cauſſámque noſſem. Nunc quæ ſcribo, ſcribo ex opinione hominum, atque fama. Tuas literas auidè expecto. Epiſt. 4.

Quamobrem opinione celeriùs confido ſceleratiſſimum latronem pœnas daturum. Quarto nonas Iunias, Pergæ. Epiſt. 15.

Nihil mihi tam deeſſe ſcito, quàm quicum hæc familiariter, doctéque rideam. Is tu eris, ſi quamprimùm veneris. Quod vt facias, non mea ſolùm, ſed etiam tua intereſſe arbitror. Epiſt. 18.

Sed hæc meliùs ex re, & ex tempore conſtitues. Mihi quidem vſque curæ erit quid agas, dum quid egeris, ſciero. Epiſt. 19.

Plura ſcripſiſſem, niſi tui feſtinarent. Itaque Cherippo noſtro me velim excuſes. Epiſt. 22.

Da operam vt valeas: hoc mihi gratius facere nihil potes. Epiſt. 24.

De reliquo, velim tibi perſuadeas, non eſſe mihi meam dignitatem tua chariorem. Epiſt. vltima.

Ex libro

Ex libro tertiodecimo.

Maius mihi dare beneficium nullum potes. Id mihi intelliges eſſe gratiſſimum. Epiſt. 9.

Mihi certè gratiſſimum feceris, ſi intellexero has literas tantum, quantum ſcribens confidebam, apud te pondus habuiſſe. Epiſt. 18.

Hanc rem, mi Plance, ſi effeceris, meam de tua erga me beneuolentia ſpem confirmaueris, ipſúmque Capitonem gratiſſimum, officioſiſſimum, optimum virum ad tuam neceſſitudinem, tuo ſummo beneficio adiunxeris. Epiſt. 30.

Peto igitur abs te, vt omnibus rebus, quæ ſine moleſtia tua facere poſſis, ei commodes: habeáſque in numero tuorum, perficiáſque, vt intelligat has literas meas magno ſibi vſui fuiſſe. Erit id mihi maiorem in modum gratum. Epiſt. 36.

Ex libro quartodecimo.

Tu modò ad me velim omnia diligentiſſimè perſcribas: & ſi magis iam rem, quàm literas debeo expectare. Cura vt valeas, & ita tibi perſuadeas, mihi te charius nihil eſſe, nec vnquam fuiſſe. Vale mea Terentia, quam ego videre videor: Itaque debilitor lachrymis. Epiſt. 3.

Cura, quoad potes, vt valeas: & ſic exiſtimes, vehementius me tua miſeria, quàm mea commoueri. Mea Terentia fidiſſima, atque optima vxor, & mea chariſſima filiola, & ſpes reliqua noſtra Cicero, valete. Epiſt. 4.

Cicero belliſſimus tibi ſalutem plurimam dicit. Etiam, atque etiam vale. Epiſt. 7.

Vos, meæ chariſſimæ animæ, quàm ſæpiſſimè ad me ſcribite, & vos quid agatis, & quid iſtic agatur. Quintus frater, & filius, & Rufus vobis ſalutem dicunt. Valete. Octauo Calend. Quintil. Minturnis.

Epiſt.14.

Ex libro decimoquinto.

Quamobrem ſic tibi perſuadeas velim: ſi mihi tua ſententia tributus honos ex meis literis fuerit, me exiſtimaturum cùm autoritate tua, tum beneuolentia erga me, mihi, quod maximè cupierim, contigiſſe. Epiſt.4.

Vale, & nos dilige, & inſtituto itinere ſecuritatem, diligentiámque ſociis, & Reipublicæ præſta. Epiſt.5.

Magnopere à te peto, vt operam des, efficiáſque, ne quid mihi fiat iniuriæ, néue quid temporis ad meum annuum munus accedat. Quod ſi feceris, magnus ad tua priſtina erga me ſtudia cumulus accedet. Epiſt.12.

Nobis quidem, qui te amamus, erit gratum: &, amabo te, cùm dabis poſthac aliquid demum literarũ, mei memineris. Ego nunquam quenquam ad te, cùm ſciam, ſine meis literis ire patiar. Epiſt. 17.

Ex libro decimoſexto.

Malo te paulò pòſt valentem, quàm ſtatim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, niſi vt tu valeas: cætera ego curabo. Etiam, atque etiam vale. Leucade proficiſcens, ſeptimo idus Nouembris. Epiſt.1.

Nemo nos amat, qui te non diligat. Charus omnibus, expectatúſque venies. Epiſt.2.

Illud igitur potiùs cura potiſſimùm vt valeas. De tuis innumerabilibus in me officiis, erit hoc gratiſſimum. Epiſt.3.

Quantum me diligis, tantum fac, vt valeas, vel quantum te à me ſcis diligi. Epiſt.4.

Effice ſi me diligis, vt valeas, & vt ad nos firmus, ac valens quàmprimum venias. Ama nos, & vale. Epiſt.8.

Hæc

Hæc te ſcire volui. Tu etiam, atque etiam cura, vt valeas, literáſque ad me mittas, quotieſcunque habebis, cui des. Etiam atque etiam vale. Epiſt. 10.

Tu velim imprimis cures vt valeas, vt vnà commentari, & in literis verſari poſſimus. Antherum tibi commendo. Epiſt. 21.

Quare cùm in primis tuas deſiderem literas, noli committere, vt excuſatione potiùs expleas officium ſcribendi, quàm aſſiduitate literarum. Epiſt. 25.

Valde enim mihi ſemper, & vera, & dulcia tuis epiſtolis nunciantur. Epiſt. 26.

FINIS.

AVTORITATES, ET SENTENTIÆ, *ex libro primo officiorum Marci Tullij Ciceronis exprompta.*

Nullum officium negligendum. NVLLA vitæ pars, neque publicis, neque priuatis, neque forenſibus, neque domeſticis in rebus: neque ſi tecum quid agas, neque ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt. In eóque excolendo, ſita eſt vitæ honeſtas omnis, & in negligendo, turpitudo.

Diffinitio. Omnis enim quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à diffinitione proficiſci: vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputetur.

Vtilitas, et honeſtas. Cum enim vtilitas ad ſe rapere, honeſtas contrà reuocare ad ſe videtur: fit, vt diſtrahatur in deliberando animus, afferátque ancipitem curam cogitandi.

Cuiuſque animantis proprium. Principio, generi animantium omni eſt à natura tributum, vt ſe, vitam, corpúſque ſuum tueatur: declinétque ea, quæ nocitura videantur: omniáque quæ ſint ad viuendum neceſſaria, inquirat, & paret, vt paſtum, vt latibula, vt alia eiuſmodi generis. Commune autem animantium omnium, eſt coniunctionis appetitus, procreandi cauſſa: & cura quædam eorum eſt, quæ procreata ſunt.

Hominis & beluæ differentia. Sed inter hominem, & beluam, hoc maximè intereſt: quòd hæc tantum, quantum ſenſu mouetur, ad id ſolùm quod adeſt, quódque præſens eſt, ſe accommodat: paulùm admodum ſentiens præteritum, & futurum. Homo autem, qui rationis eſt particeps, per quam conſequentia cernit, cauſas rerum videt,

earúmque

carúmque progreſſus, & quaſi anteceſſiones non ignorat, ſimilitudines comparat, rebúſque præſentibus adiungit, atque annectit futuras: facilè totius vitæ curſum videt, ad eámque degendam præparat res neceſſarias.

His enim rebus, quæ tractantur in vita, modum quendam, & ordinem adhibentes, honeſtatem, & decus conſeruabimus. *Honeſtas & decus.*

Omnes enim trahimur, & ducimur, ad cognitionis ſcientiæ cupiditatem: in qua excellere, pulchrum putamus: labi autem & errare, neſcire, decipi, & malum & turpe ducimus. *Scientiæ cupiditas.*

Quod in rebus honeſtis, & cognitione dignis operæ, curæque ponetur, id iure laudabitur. *Quid laudabile.*

Virtutis enim laus omnis, in actione conſiſtit: à qua tamen ſæpe fit intermiſſio, multíque dantur ad ſtudia reditus. *Virtus in quo conſiſtit.*

Omnis enim cogitatio, motúſque animi, aut in conſiliis capiendis de rebus honeſtis, & pertinentibus ad benè, beatéque viuendum: aut in ſtudiis ſcientiæ, cognitioníſque verſabitur. *Cogitatio animi in quo verſari debet.*

Iuſtitia, eſt in qua virtutis ſplendor eſt maximus: ex qua viri boni nominantur: & huic coniuncta eſt beneficentia: quam eandem, vel benignitatem, vel liberalitatem appellari licet. Sed iuſtitiæ primum munus eſt, vt ne cui quis noceat, niſi laceſſitus iniuria. Deinde, vt communibus pro communibus vtatur, priuatis, vt ſuis. *Iuſtitia. Beneficentia. Munus iuſtitiæ.*

Præclarè ſcriptum eſt à Platone, non nobis ſolùm nati ſumus: ortúſque noſtri partem patria vendicat, partem amici. Atque, vt placet Stoïcis, quæ in terris gignuntur, ad hominum vſum omnia creari: homines autem hominum cauſſa eſſe procreatos, vt ipſi inter ſe alij aliis prodeſſe poſſent. In hoc naturam de- *Non nobis ſolùm nati.*

bemus ducem ſequi, & communes vtilitates afferre in medium commutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus deuincire hominum inter homines ſocietatem.

Fides, fundamẽtum iuſtitiæ. Fundamentum autem omnis iuſtitiæ, fides eſt, id eſt, dictorum, conuentorúmque conſtantia, & veritas.

Duo genera iniuſtitiæ. Iniuſtitiæ duo ſunt genera. Vnum, eorum, qui inferunt: alterum, eorum, qui ab his, quibus infertur, ſi poſſint, non propulſant iniuriam. Nam qui iniuſtè impetum in quempiam facit, aut ira, aut perturbatione aliqua incitatus, is quaſi manus violenter videtur inferre ſocio. Qui autem non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, iniuriæ, tam eſt in vitio, quàm ſi aut parentes, aut amicos, aut patriam deſerat.

Diuitiæ quare appetuntur. Expetuntur autem diuitiæ, tum ad vſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates. Delectant etiam magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia, & copia: quibus rebus effectum eſt, vt infinita pecuniæ cupiditas eſſet. Nec verò rei familiaris amplificatio, nemini nocens, vituperanda eſt: ſed fugienda ſemper iniuria eſt.

Iuſtitiæ obliuio. Maximè autem adducuntur plerique, vt eos iuſtitiæ capiat obliuio, quum in imperiorum, bonorũ, gloriæúe cupiditatem inciderint. Quod enim eſt apud Ennium: Nulla ſancta ſocietas, nec fides regni eſt: id latiùs patet. Nam quicquid eiuſmodi eſt, in quo non poſſunt plures præcellere: in eo fit plerunque tanta contentio, vt difficillimum ſit ſeruare ſanctam ſocietatem.

Iniuria quomodo fiat. In omni iuſtitia permultum intereſt, vtrum perturbatione aliqua animi, quæ plerunque breuis eſt, & ad tempus: an conſultò, & cogitatò fiat iniuria. Leuiora enim ſunt ea, quæ repentinè, & motu aliquo

accidunt: quàm ea, quæ meditata, & præparata inferuntur.

Hoc ipſum iam iuſtum eſt, quod rectè fit, ſi eſt voluntarium. Eſt enim difficilis cura rerum alienarum. *Iuſtum quid.*

Æquitas enim ipſa per ſe lucet. Nec promiſſa ſeruanda ſunt ea, quæ ſunt iis, quibus promiſſa ſunt, inutilia. Nec ſi plus tibi ea noceant, quàm illi proſint, cui promiſeris. Contra officium enim eſt, maius damnum anteponi minori. *Aequitas* *Promiſſa quæ ſeruanda.*

In Republica maximè conſeruanda ſunt iura belli. Nam cùm ſint duo genera decertandi, vnum per diſceptationem, alterum per vim: cúmque illud ſit proprium hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi vti non licet ſuperiore. Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt, ob eam cauſſam, vt ſine iniuria in pace viuatur. Parta autem victoria, conſeruandi ſunt ij, qui non crudeles in bello, neque immanes fuerunt. *Iura belli ſeruanda.*

Mea quidem ſententia, paci, quæ nihil habitura ſit inſidiarum, ſemper conſulendum putaui. *Paci conſulēdum.*

Et cùm iis, quos vi deuiceris, conſulendum eſt: tũ ii, qui armis poſitis ad Imperatoris fidem cõfugerint, quanuis murum aries percuſſerit, recipiendi ſunt. *Qui recipiendi in bello.*

Atque etiam ſi quid ſinguli, temporibus adacti, hoſti promiſerint, in eo ipſo fides ſeruanda eſt.

Meminerimus autem etiam aduerſus infimos, iuſtitiam eſſe ſeruandam. Eſt autem infima conditio, & fortuna ſeruorum. *Iuſtitia ſeruanda etiam aduerſus infimos.*

Cùm autẽ duobus modis, id eſt, aut vi, aut fraude, fiat iniuria: fraus, quaſi vulpeculæ, vis, leoni videtur. Vtrunque ab homine alieniſſimum eſt: ſed fraus odio digna maiore. Totius autem iniuſtitiæ nulla capitalior, quàm eorum, qui tum cùm maximè fallunt, id agunt, vt viri boni eſſe videantur. *Quibus modis fiat iniuria.*

Beneficētia & liberalitas. Beneficentia ac liberalitate, nihil eſt naturæ hominis accommodatius. Sed habet multas cautiones. Videndum eſt enim primùm, ne obſit benignitas, & his ipſis, quibus benignè videbitur fieri, & cæteris. Deinde ne maior ſit benignitas, quàm facultates. Tum, vt pro dignitate cuique tribuatur. Id eſt enim iuſtitiæ fundamentum, ad quam referenda ſunt omnia. Nam & qui gratificantur cuipiam, quod obſit illi, cui prodeſſe velle videantur: non benefici, neque liberales, ſed pernicioſi, & aſſentatores iudicandi ſunt. Et qui aliis nocent, vt in alios ſint liberales, in eadem ſunt iniuſtitia, vt ſi in ſuam rem, alienam conuertant. Sunt autem multi quidem cupidi ſplendoris & gloriæ, qui accipiunt ab aliis, quod & aliis largiantur: iíque ſe arbitrantur beneficos in ſuos amicos viſum iri, ſi locupletent eos, quacũque ratione. Id autem tantùm abeſt ab officio, vt nihil magis officio poſſit eſſe contrarium. Videndum eſt igitur, vt ea liberalitate vtamur, quæ profit amicis, nemini noceat.

Benignitas. Qui benigniores eſſe volunt, quàm res patiatur, primùm peccant in eo, quòd iniurioſi ſunt in proximos: quas enim copias his ſuppeditari æquius eſt, & relinquere, eas transferunt ad alienos. Ineſt autem in tali liberalitate cupiditas plerunque rapiendi, & auferendi per iniuriam, vt ad largiendum ſuppetant copiæ.

Inanis gloria, & oſtētatio. Videre etiam licet pleróſque, non tam natura liberales, quàm quadam gloria ductos multa facere, vt benefici videantur: quæ proficiſci ab oſtentatione magis, quàm à voluntate videntur. Talis autem ſimulatio, vanitati eſt coniunctior, quàm aut liberalitati, aut honeſtati.

Mores ſpectandi ei⁹, in quem beneficiũ confertur. Mores eius erunt ſpectandi, in quem beneficium confertur, & animus erga nos, & communitas, ac ſocietas

cor

cietas vitæ, & ad noſtras vtilitates beneficia antè collata.

Nemo omnino eſt negligendus, in quo aliqua ſignificatio virtutis apparet.

Primum illud eſt in officio, vt ei plurimùm debeamus, à quo plurimùm diligimur. Sed beneuolentiam, non adoleſcentulorum more, ardore quodam amoris, ſed ſtabilitate potiùs, & conſtantia iudicemus. *Beneuolētia.*

Etenim ſi in eos, quos ſperamus nobis profuturos; non dubitamus officia conferre, quales in eos eſſe debemus, qui iam profuerunt? *Gratitudo*

Multi enim faciunt multa temeritate quadam, ſine iudicio, vel modo in omnes, vel repentino quodam quaſi vento, impetu animi incitati: quæ beneficia ita æquè magna non ſunt habenda, atque ea, quæ iudicio conſiderato, conſtantérque delata ſunt. Sed in colendo beneficio, & in referenda gratia, ſi cætera paria ſint, hoc maximè officij eſt, vt quiſque maximè opis indigeat, ita ei potiſſimùm opitulari. Quod contrà fit à pleriſque. A quo enim plurimum ſperant, etiam ſi ille his non eget, tamen ei potiſſimùm inſeruiunt. Optimè autem ſocietas hominum, coniunctióque ſeruabitur, ſi vt quiſque erit coniunctiſſimus: ita in eum benignitatis plurimùm conferetur. *Temeritas*

In Græcorum prouerbio eſt: Amicorum eſſe communia omnia. *Amicorū omnia cōmunia.*

Sanguinis autem coniunctio, & beneuolentia deuincit homines charitate. Magnum eſt enim eadē habere maiorum monumenta, eiſdem vti ſacris, ſepulchra habere communia. Sed omnium ſocietatum nulla præſtantior eſt, nulla firmior, quàm cùm viri boni, moribus ſimiles, ſunt familiaritate coniuncti. Nihil enim amabilius, nec copulatius, quàm morum ſimilitudo bonorum. *Sanguinis coniūctio.*

Iucūdiſſima amicitia. In his enim, in quibus eadem ſtudia ſunt, eædem voluntates, in his fit, vt æquè quiſque altero delectetur, ac ſeipſo: efficitúrque id, quod Pythagoras vult in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus. Eſt ea iucundiſſima amicitia, quam ſimilitudo morum coniugauit.

Officia alia aliis debentur. Sunt officia, quæ aliis magis, quàm aliis debentur: vt vicinum citius adiuueris in fructibus percipiendis, quàm aut fratrem, aut familiarem. At ſi lis in iudicio ſit, propinquum potiùs, & amicum, quàm vicinum defenderis.

Fortitudinis gloria. Nemo qui fortitudinis gloriam conſecutus eſt, inſidiis, aut malitia laudem adeptus eſt.

Fortes & magnanimi. Itaque viros fortes, magnanimos, eoſdem bonos, & ſimplicis veritatis amicos, miniméque fallaces eſſe volumus.

Calliditas. Scientia, quæ eſt remota à iuſtitia, calliditas potiùs, quàm ſapientia eſt appellanda.

Iuſtitiæ maximè proprium. Difficile eſt, cùm præſtare omnibus concupiueris, ſeruare æquitatem, quæ eſt iuſtitiæ maximè propria. Nullum enim tempus eſt, quod iuſtitia vacare debeat. *Fortes & magnanimi.* Fortes igitur, & magnanimi ſunt habendi, non qui faciunt, ſed qui propulſant iniuriam.

Imperita multitudo. Etenim qui ex errore imperitæ multitudinis pendet, hic in magnis viris non eſt habendus.

Gloria, merces rerum geſtarum. Vix inuenitur, qui laboribus ſuſceptis, periculíſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam.

Cupiditas fugienda. Pecuniæ eſt fugienda cupiditas. Nihil enim eſt tam anguſti animi, támque parui, quàm amare diuitias. Nihil honeſtius, magnificentiúſque, quàm pecuniam contemnere, ſi non habeas. Si verò habeas, ad munificentiam, liberalitatémque conferre. *Gloriæ cupiditas.* Cauenda eſt etiàm gloriæ cupiditas. Eripit enim libertatem, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio.

Nec

Nec verò imperia expetenda, aut potiùs non accipienda interdum, aut deponenda nonnunquam.

In omnibus negotiis priùs quàm aggrediare, adhibenda eſt præparatio diligens. *Præparatio diligẽs.*

Parua enim ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi. *Conſilium.*

Bellum autem ita ſuſcipitur, vt nihil aliud, niſi pax quæſita videatur. Fortis vero animi, & conſtantis eſt, non perturbari in rebus aſperis: nec tumultuantem de gradu deiici, vt dicitur, ſed præſentis animi vti conſilio, nec à ratione diſcedere. *Bellum.*

Temerè autem in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam, & belluarum ſimile eſt. Sed cùm tempus, neceſſitáſque poſtulat, decertandum manu eſt: & mors ſeruituti, turpitudiníque anteponenda. *Immanitas belli.*

Fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis ſine cauſſà: quo nihil poteſt eſſe ſtultius. *Pericula non ſuſcipiẽda ſine cauſſa.*

In tranquillo tempeſtatem aduerſam optare, dementis eſt: ſubuenire autem tempeſtati quouis animo, quauis ratione, ſapientis eſt. *Dementis proprium.*

Omnino qui Reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant. Vnum, vt vtilitatem ciuium ſic tueantur, vt quicquid agant, ad eam referãt, obliti commodorum ſuorum. Alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent, ne dum partem aliquam tueantur, reliquas deſerant. Vt enim tutela, ſic procuratio Reipublicæ ad eorum vtilitatem, qui commiſſi ſunt: non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. Qui autem partem ciuium conſulunt, partem negligunt, rem perniciosiſſimam in ciuitatem inducunt, ſeditionem, atque diſcordiam. Ex quo euenit, vt alij populares, alij ſtudioſi optimi cuiuſque videantur: pauci, vniuerſorum. *Duo præcepta tenere debent qui Reipubli. præſunt.*

Ambitio. Miſerrima omnino eſt ambitio, bonorúmque contentio.

Placabilitas, & clementia. Nihil enim laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placabilitate atque clementia.

Caſtigatio. Omnis autem animaduerſio, & caſtigatio, contumelia vacare debet: neque ad eius qui punit aliquem, aut verbis caſtigat, ſed ad Reipublicæ vtilitatem referri debet. Cauendum eſt etiam, ne maior pœna, quàm culpa ſit: & ne iiſdem de cauſſis alij plectantur, alij ne appellentur quidem. Prohibenda autem maximè eſt ira in puniendo. Nunquam enim iratus, qui accedet ad pœnam, mediocritatem illam tenebit, quæ eſt inter nimium, & parum.

Ira fugienda in puniendo.

Reipublicæ præfecti. Optandum eſt, vt ij, qui præſunt Reipublicæ, legũ ſimiles ſint, quæ ad puniendum, non iracundia, ſed æquitate ducuntur. Atque etiam in rebus proſperis, & ad voluptatem noſtram fluẽtibus, ſuperbiam magnopere, & faſtidium, arrogantiámque fugiamus. Nam vt aduerſas res, ſic ſecundas immoderatè ferre, leuitatis eſt. Præclaráque eſt æqualitas in omni vita, & idem ſemper vultus, eadem frons.

Æquabilitas.

Sũmiſſio. Rectè præcipere videntur, qui monent, vt quantò ſuperiores ſumus: tantò ſummiſſius nos geramus.

Amicorũ conſilium. In ſecundiſſimis rebus, maximè eſt vtendum conſilio amicorum: iiſque maior etiam, quàm antè, eſt tribuenda autoritas.

Aſſentatores vitãdi. His temporibus cauendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus aures: neque adulari nos ſinamus, in quo falli facilè eſt. Tales enim nos eſſe putamus, vt iure laudemur: ex quo naſcuntur innumerabilia peccata, cùm homines inflati opinionibus, turpiter irridentur, & in maximis verſantur erroribus.

Arrogantis & diſſoluti proprium. Nam negligere, quid de ſe quiſque ſentiat, non ſolùm arrogantis eſt, ſed etiam omnino diſſoluti.

Omnis autem actio vacare debet temeritate, & negligentia. Nec verò agere aliquid cuius non poſſis cauſſam probabilem reddere. Efficiendum eſt enim, vt appetitus obediant rationi: eámque neque præcurrant, neque propter pigritiam, aut ignorantiam deſerant. Sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant: ex quo eluceſcit omnis conſtantia, omníſque moderatio. *Temeritas & negligẽtia.*

Appetitus omnes contrahendi, ſedandíque ſunt, excitandáque animi animaduerſio, & diligentia: vt ne quid temerè, ac fortuitu, inconſideratè, negligentérque agamus. Neque enim à natura ita generati ſumus, vt ad ludum, & iocum facti eſſe videamur: ſed ad ſeueritatem potius, & ad quædam ſtudia grauiora, atque maiora. Ludo autem & ioco vti, aliis quidem licet, ſed ſicut ſomno, & quietibus cæteris: tum cùm grauibus, ſeriíſque rebus ſatisfecerimus. Ipſúmque genus iocandi non profuſum, nec immodeſtum: ſed ingenuum, & facetum eſſe debet. Vt enim pueris, non omnem ludendi licentiam damus: ſed eam, quæ ab honeſtatis actionibus non ſit aliena: ſic in ipſo ioco, aliquod probi ingenij lumen elucet. *Appetit⁹ cõtrahẽdi.* *Ludus & iocus.*

Ludendi etiam eſt quidam modus retinendus, vt ne nimis omnia profundamus: elatíque voluptate, in aliquam turpitudinem dilabamur. *Modus in luſu retinendus.*

Hominis mens, diſcendo alitur, & cogitando ſemper aliquid aut inquirit, aut agit, videndíque, & audiendi oblectatione ducitur. *Mẽs hominis quomodo alitur.*

Si quis eſt paulò ad virtutem erectior, quanuis voluptate capiatur, occultat, & diſſimulat appetitum voluptatis propter verecundiam. Ex quo intelligitur corporis voluptatem, non ſatis eſſe dignam hominis præſtantia, eámque contemni, & reiici oportere. Sin ſit quiſpiam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter *Voluptas indigna homini præſtantia.*

ei tenendum eſſe, eius fruẽdæ modum. Itaque victus, cultúſque corporis, ad valetudinem referantur, & ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam, ſi conſiderare volumus, quæ ſit in natura hominis excellentia, & dignitas: facilè intelligimus, quàm ſit turpe defluere luxuria, & delicatè ac molliter viuere: quàmque honeſtum parcè, continenter, ſeuerè, ſobriè.

In animis & corporibus magnæ diſsimilitudines.

Vt enim in corporibus magnæ diſſimilitudines ſunt: alios enim videmus velocitate ad curſum, alios viribus ad luctandum valere: itemque in formis, aliis dignitatem ineſſe, aliis venuſtatem: ſic & in animis exiſtunt etiam maiores varietates.

Inuita Minerua nihil rectũ fit.

Neque enim attinet naturæ repugnare, neque quicquam ſequi, quod aſſequi non queas. Ideóque (vt aiunt) nihil decet inuita Minerua obſtante, id eſt, aduerſante, & repugnante natura.

Elaborare debet quiſque ad quod erit aptus.

Ad quas igitur res aptiſſimi erimus, in his potiſſimum elaboremus. Sin aliquando neceſſitas nos ad ea detruſerit, quæ noſtri ingenij non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, vt eà, ſi non decorè, at quàm minimè dedecorè facere poſſimus. Nec tamen eſt enitendum, tam vt bona, quæ nobis data ſunt, ſequamur: quam vt vitia fugiamus.

Alii ſe ad alia applicant.

Nam regna, imperia, nobilitates, honores, diuitiæ, opes, & ea, quæ ſunt his contraria in caſu ſita, temporibus reguntur, & gubernantur. Ipſi autem gerere quam perſonam velimus, à noſtra voluntate proficiſcitur. Itaque ſe alij ad Philoſophiam, alij ad ius ciuile, alij ad eloquentiam applicant: ipſarúmque virtutum in alia alius mauult excellere. Quorum verò patres, aut maiores, aliqua gloria præſtiterunt: hi ſtudent plerunque eodem in genere laudis excellere.

Imprimis autem conſtituendum eſt, quos nos, & quales

quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ: quæ deliberatio, eſt omnium difficillima. Ineunte enim adoleſcentia, cui ineſt maxima imbecillitas conſilij, tunc id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituit, quod maximè adamauit. Itaque antè implicatur aliquo certo genere curſuque viuendi, quàm potuit, quod optimum eſt, iudicare. *Vitæ degẽdæ deliberatio.*

Plerunque autem parentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem, morémque deducimur. Alij multitudinis iudicio feruntur: quæque maiori parti pulcherrima videntur, ea maximè exoptant. *Filii plerũque parentes imitantur.*

Multo enim & firmior eſt, & conſtantior natura, quàm fortuna. *Natura cõſtantior, q̃ fortuna.*

Amicitias, quæ minus delectant, & minus probantur, magis decere cenſent ſapientes ſenſim diſſuere, quàm repente præcidere. Commutato autem genere vitæ, omni ratione curandum eſt, vt id bono conſilio feciſſe videamur. Eſt igitur adoleſcentis, maiores natu reuereri: ex iíſque deligere optimos, & probatiſſimos, quorum conſilio, atque autoritate nitatur. *Quæ amicitiæ diſſuendæ. Adoleſcẽtis propriũ*

Maximè autem hæc ætas à libidinibus eſt arcenda, exercendáque in labore, patientiáque & animi & corporis, vt eorum in bellicis & ciuilibus officiis vigeat induſtria. Atque etiam cùm relaxare animos, & dare ſe iucunditati volent, caueant intemperantiam, meminerint verecundiæ: quod facilius erit, ſi in eiuſmodi quoque rebus, maiores natu velint intereſſe. *Adoleſcẽtia à quibus eſt arcenda.*

Senibus autem labores corporis ſunt minuendi: exercitationes animi etiam augendæ videntur. Danda verò eſt opera, vt & amicos & iuuentutem, & maximè Rempublicam conſilio, & prudentia quàm plurimum adiuuent. *Senũ proprium.*

Nihil autem cauẽdum magis eſt ſenectuti, quàm ne languori ſe, deſidiæque dedat.

Luxuria omni ætati turpis. Luxuria verò cùm omni ætati ſit turpis, tamen ſenectuti eſt fœdiſſima. Sin autem & libidinum intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt: quòd & ipſa ſenectus dedecus concipit, & adoleſcentium facit impudentiorem intemperantiam.

Proprium munus magiſtratus. Eſt igitur proprium munus magiſtratus, intelligere, ſe gerere perſonam ciuitatis, deberéque eius dignitatem, & decus ſuſtinere, leges ſeruare, iura deſcribere, eáque fidei ſuæ commiſſa meminiſſe.

Conſtãtia. Nihil autem eſt, quod tam deceat, quam in omni re gerenda, capiendóque conſilio, ſeruare conſtantiã.

Duo maximè fugienda. Duo maximè ſunt fugienda: ne quid effœminatum, aut molle: & ne quid durum, aut ruſticum fiat.

Duo genera pulchritudinis. Cùm autem pulchritudinis duo genera ſint, quorum in altero venuſtas ſit, in altero dignitas: venuſtatem muliebrem dicere ſolemus, dignitatem virilem. Ergo & à forma remoueatur omnis viro non dignus ornatus: & huic ſimile vitium in geſtu, motúque caueatur.

Formæ dignitas quomodo tuẽda. Formæ autem dignitas, coloris bonitate tuenda eſt: & color, exercitationibus corporis. Adhibenda eſt prætereà munditia, non odioſa, néque exquiſita nimis: tantúmque effugiat agreſtem, & inhumanam negligentiam. Cauendum eſt autem ne aut tarditatibus vtamur in greſſu mollioribus, vt pomparum ferculis ſimiles eſſe videamur, aut in feſtinationibus ſuſcipiamus nimias celeritates: quæ cùm fiunt, anhelitus mouentur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio fit, non adeſſe conſtantiã.

Animi motus. Sed multò etiam magis elaborandum eſt, ne animi motus, à natura recedant. Quod aſſequemur, ſi cauebimus, ne in perturbationes, atque exanimatio-

nes incidamus: & ſi attentos animos ad decoris conſeruationem tenebimus.

Cauendum eſt, vt cogitatione ad res quam optimas vtamur: appetitum rationi obedientem præbeamus. *Cogitatio excitãda, appetitus cohibẽdus.*

In omni vita rectiſſimè præcipitur, vt perturbationes fugiamus, id eſt, motus animi nimios, rationi non obtemperantes. *Perturbationes fugienda.*

Maximè curandum eſt, vt eos, quibus cum ſermones conferimus, & vereri, & diligere videamur.

Ira procul abſit, cum qua nihil rectè fieri, nihil conſideratè poteſt. Magna autem parte, clementi caſtigatione licet vti, grauitate tamen adiuncta, vt ſeueritas adhibeatur, & contumelia repellatur. *Ira.*

Quæ cum aliqua perturbatione fiunt, ea, nec cõſtanter fieri poſſunt, neque ab his, qui aſſunt, approbari. Deforme etiam eſt de ſeipſo prædicare, falſa præſertim, & cum irriſione audientium, imitari militem glorioſum. *Perturbatio. Inanis gloria.*

Ornanda enim eſt dignitas domo, at non ex domo tota quærenda: nec domo dominus, ſed domino domus eſt honeſtanda. *Dignitas.*

Mediocritas ad omnem vſum, cultumque vitæ referenda eſt. *Mediocritas.*

In omni autem actione ſuſcipienda, tria ſunt tenenda. Primum, vt appetitus rationi pareant: quo nihil eſt ad officia conſeruanda accommodatius. Deinde, vt animaduertatur, quãta illa res ſit, quam efficere velimus: neúe maior, minorúe cura & opera ſuſcipiatur, quàm cauſſa poſtulet. Tertium, vt caueamus: vt ea, quæ pertinent ad liberalem ſpeciem, & dignitatem, moderata ſint. Horum trium tamen præſtantiſſimum eſt, appetitum obtemperare rationi. *Tria tenenda in omni actione.*

Turpe enim, valdeque vitioſum eſt in re ſeuera,

Delicatus ſermo vitādus in re ſeuera. conuiuio dignum, aut delicatum aliquem inferre ſermonem.

Decus. Decet non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere.

Cæcutiētia Fit enim neſcio quomodò, vt magis in aliis cernamus, quam in nobiſipſis, ſi quid delinquitur.

Verecūdia Sine verecundia, nihil rectum eſſe poteſt, nihil honeſtum.

Agricultura. Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.

Officia iuſtitiæ. Studiis, officiiſque ſcientiæ, præponenda ſunt officia iuſtitiæ, quæ pertinent ad hominum vtilitatem: qua nihil homini debet eſſe antiquius.

Immanitas. Magnitudo animi, remota iuſtitia, humanáque comitate, & coniunctione, feritas quædam fit, & immanitas.

Hominum coniunctio & ſocietas Omne officium, quod ad coniunctionem hominum, & ad ſocietatem tuendam valet, anteponendum eſt illi officio, quod cognitione, & ſcientia continetur.

Cognitionē, prudentiamque ſequetur conſiderata actio. Ita fit, vt agere conſideratè pluris ſit, quàm cogitare prudenter.

Officiorū climax. Prima officia, diis immortalibus: ſecunda, patriæ: tertia, parentibus: deinde gradatim reliqua reliquis debentur.

Ex libro ſecundo.

Nihil præſtantius ſapientia. Quid eſt enim per deos optabilius ſapientia? quid præſtantius? quid melius? quid homine dignius? Hanc igitur qui expetunt, Philoſophi nominantur. *Philoſophus.* Nec quicquam aliud eſt Philoſophia, ſi interpretari velis, quàm ſtudium ſapientiæ.

Qui

Qui parum proſpiciunt, hi ſæpe verſutos homines, & callidos admirantes, eorum malitiam, ſapientiam iudicant: quorum error eripiendus eſt, opinioque omnis ad eam ſpeciem traducenda, vt honeſtis conſiliis, iuſtiſque factis, non fraude, & malitia, ſe intelligant, ea quæ velint, conſequi poſſe. *Error parùm pſpicientium.*

Deos placatos pietas efficiet, & ſanctitas. *Pietas.*

Proprium hoc ſtatuo eſſe virtutis, conciliare ſibi animos hominum, & ad vſus ſuos adiungere. *Proprium virtutis.*

Secundæ res, honores, imperia, victoriæ, quamquàm fortuitá ſunt: tamen ſine hominum operibus, & ſtudiis, neutram in partem effici poſſunt. *Hominum opera quid valeant.*

Malè enim res habet, cùm quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. *Pecunia.*

Atque etiam ſubiiciunt ſe homines imperio alterius, & poteſtati, de cauſis pluribus. Ducuntur enim aut beniuolentia, aut beneficiorum magnitudine, aut dignitatis præſtantia, aut ſpe ſibi id vtile futurum, aut metu, ne vi parere cogantur, aut ſpe largitionis, promiſſioniſque capti, aut poſtremò mercede conducti. Omnium autem rerum nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas, ac tenendas, quàm diligi: nec alienius, quàm timeri. *Variis modis ſe alterius imperio plerique ſubiiciunt*

Malus autem cuſtos diuturnitatis, metus: contráque beneuolentia, fidelis eſt, vel ad perpetuitatem. *Metus.*

Quod igitur latiſſimè patet, neque ad incolumitatem ſolùm, ſed etiam ad opes, & potentiam valet plurimum, id amplectamur: vt metus abſit, charitas retineatur. Ita facillimè quæ volumus, & priuatis in rebus, & Republica conſequimur. *Quid potiſſimum amplectamur.*

Etenim qui ſe metui volunt, à quibus metuuntur, eoſdem metuant ipſi neceſſe eſt. *Metui.*

Nec verò vlla vis imperij tanta eſt, quæ premente metu poſſit eſſe diuturna. *Vis imperij.*

Amantiũ familiaritates. Certum igitur hoc ſit, & id quidem & primum, & maximè neceſſarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum, & mirantium noſtra.

Liberalitatis opinio. Vehementer autem amor multitudinis commouetur ipſa fama, & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iuſtitiæ, fideique, omniúmque earum virtutum, quæ pertinent ad manſuetudinem morum, ac facilitatem.

Fides quibus rebus adhibetur. Fides autem vt adhibeatur, duabus rebus effici poteſt: ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam. Nam & his fidem habemus, quos plus intelligere, quam nos arbitramur: quoſque & futura proſpicere credimus: & cum res agatur, in diſcriménque vétum ſit, expedire rem, & conſilium ex tempore capere poſſe. Hanc enim vtilem homines exiſtimant, verámque prudentiam. Iuſtis autem, & fidis hominibus, id eſt, bonis viris ita fides habetur, vt nulla ſit in his fraudis, iniuriæque ſuſpicio. Itaque iis ſalutem noſtram, iis fortunam, iis liberos rectiſſimè committi arbitramur. Harum igitur duarum iuſtitia plus pollet ad fidem faciendam. Quippe cùm ea ſine prudentia ſatis habeat autoritatis, prudentia ſine iuſtitia nihil valet ad fidem faciendam.

Verſutus inuiſus. Quò enim quis verſutior, & callidior: hoc inuiſior eſt, & ſuſpectior probabitur, detracta opinione probitatis.

Opinio popularis. Popularibus enim verbis eſt agendum, & vſitatis cum loquimur de opinione populari.

Non enim omnes eos contemnunt, de quibus malè exiſtimant.

Qui contemnendi. Contemnuntur autem ij, qui nec ſibi, nec alteri (vt dicitur) proſunt: in quibus nullus labor, nulla induſtria, nulla cura eſt. *Qui admirationedigni.* Admiratione quadam autem afficiuntur ij, qui anteire cæteros virtute putantur: &

cùm

cùm omni carere dedecore, tum verò iis vitiis, quibus alij non poſſunt facilè obſiſtere.

Nemo iuſtus eſſe poteſt, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egeſtatem timet: aut qui ea quæ ſunt his cõtraria, æquitati anteponit. Maximéque admiramur eũ, qui pecunia non mouetur: quod in quo viro perſpectũ ſit, hunc dignum ſpectatu arbitramur. *Qui iuſt?.*

Omnis ratio, atque inſtitutio vitæ hominum, adiumenta deſiderat, imprimiſque vt habeat quibus cũ familiares poſſit conferre ſermones: quod eſt difficilè, niſi ſpeciem præ ſe boni viri ferat. *Inſtitutio & ratio vitæ hominum.*

Iuſtitiæ tanta vis eſt, vt ne illi quidem, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur, poſſint ſine vlla particula iuſtitiæ viuere. Nam qui eorum cuipiam qui vnà latrocinantur, furatur aliquid, aut eripit, is ſibi ne in latrocinio quidem relinquit locum. *Vis iuſtitiæ.*

Cùm igitur tanta vis iuſtitiæ ſit, vt ea etiam latronum opes firmet, atque augeat: quantam eius vim inter leges, & iudicia, & inſtituta fore putamus?

Omni igitur ratione colenda, & retinenda iuſtitia eſt, tum ipſa propter ſe (nam aliter iuſtitia non eſſet) tum propter amplificationẽ honoris, & gloriæ. *Iuſtitia omni ratione colẽda.*

Præclarè Socrates hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, vt qualis haberi vellet, talis eſſet. Quod ſi qui ſimulatione, & inani oſtentatione, & ficto non modò ſermone, ſed etiam vultu, ſtabilem ſe gloriam cõſequi poſcerentur, vehemẽter errant. Vera enim gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter tanquàm floſculi, decidunt. Nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. *Via ad gloriam proxima.* *Vera gloria.*

Qui igitur adipiſci veram gloriam volet, iuſtitiæ fungatur officiis. *Iuſtitiæ functio.*

Si quis ab ineũte ætate habet cauſſam celebritatis,

Nominis celebritas. & nominis, aut à patre acceptam, aut aliquo caſu, aut fortuna, in hunc oculi omnium coniiciũtur: atque in eo quid agat, aut quemadmodum viuat, inquiritur: & tanquàm in clariſſima luce verſetur, ita nullum eius dictum, aut factum poteſt obſcurum eſſe.

Ignobiles & inglorij. Quorum autem ætas prima propter humilitatẽ, & obſcuritatem, in hominum ignorantia verſatur, ij, ſimul ac iuuenes eſſe cœperint, magna ſpectare, & ad ea rectis ſtudiis debent contendere: quod eo firmiore animo facient, quia non modò non inuidetur illi ætati, verùm etiam fauetur.

Opera animi maiora quàm corporis. Vt reliquis in rebus, multò maiora ſunt opera animi, quàm corporis: ſic eæ res, quas ingenio, ac ratione proſequimur, grauiores ſunt, quàm illæ, quas viribus.

Bene inſtituti adoleſcentes. Facillimè autem, & in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes, qui ſe ad claros, & ſapientes viros, benè conſulentes Reipublicæ contulerunt: quibus cum ſi frequentes fuerint, opinionem afferunt populo, eorum fore ſe ſimiles, quos ſibi ipſi delegerint ad imitandum.

Comitas et affabilitas ſermonis. Difficile dictu eſt, quantopere conciliet animos comitas, affabilitaſque ſermonis. Magna eſt admiratio copioſè, ſapienterque dicentis: quem qui audiunt, intelligere etiam, & ſapere plus, quàm cæteros arbitrantur. Si verò ineſt in oratione mixta modeſtiæ grauitas, nihil admirabilius fieri poteſt, eóque magis, ſi ea ſunt in adoleſcente.

Officij præceptũ vel omniũ maximum. Hoc præceptum officij diligenter tenendum eſt, ne quem vnquam innocentem in iudicio capitis accerſas. Id enim ſine ſcelere nullo modo fieri poteſt. Nam quid eſt tam inhumanum, quàm eloquentiam à natura ad ſalutem hominum, & conſeruationem datam, ad bonorum peſtem, perniciémque conuertere?

re? Nec tamen vt hoc fugiendum, ita eſt habendum religioni contrarium, nocentem quandóque & nefarium impiúmque defendere. Vult hoc multitudo, patitur hoc conſuetudo, fert etiam humanitas. Iudicis eſt ſemper, in cauſis verum ſequi: patroni verò nōnunquàm veriſimile, etiam ſi minus ſit verum, defendere. Maximè autem & gloria paratur, & gratia defenſoribus, eóque maior, ſi quando accidit, vt ei ſubueniatur, qui potentis alicuius opibus circumueniri, vrgerique videatur. *Iudicis & patroni officium.*

Præclarè in epiſtola quadam Alexandrum filium Philippus accuſat, quod largitione beniuolentiam Macedonum conſectetur. Quod te malum, inquit, rationis in iſtam ſpem induxit, vt eos tibi fideles fore putares, quos pecunia corrupiſſes? An tu id agis, vt Macedones non te regem ſuum, ſed miniſtrum, & præbitorem exiſtiment? Quid ſordidius regi? melius etiàm, quàm largitionem, corruptelam eſſe dixit. Fit enim deterior qui accipit, atque ad id idem ſemper expectandum paràtior. *Sola charitate conciliatur amicitia.*

Nonnunquàm tamen eſt largiendum: neque hoc benignitatis genus omnino repudiandum eſt: & ſæpe idoneis hominibus de re familiari impendendum eſt, ſed diligenter, atque moderatè. Multi enim patrimonia effuderunt, inconſultè largiendo. Quid autem eſt ſtultius: quàm quod libenter facias, curare, vt id diutius facere non poſſis? Atque etiam ſequuntur largitionem rapinæ. Cum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus inferre coguntur. Ita cùm beneuolentiæ comparandæ cauſſà, benefici eſſe volunt, non tanta aſſequuntur ſtudia eorum, quibus dederunt: quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda eſt res familiaris, vt eam benignitas aperire non poſſit; nec ita reſeranda, vt *Largitio non repudiãdá, ſed moderatè.*

omnibus pateat. Modus adhibeatur, iſque ad facultates referatur. Omnino meminiſſe debemus id quod à noſtris hominibus ſæpiſſime vſurpatum, iam in prouerbij conſuetudinem venit: largitionem fundum non habere.

Auaritiæ ſuſpicio vitanda. Vitanda tamen ſuſpicio auaritiæ eſt. Cauſſa igitur largitionis eſt, ſi aut neceſſe eſt, aut vtile.

Mediocritatis regula optima. In his autem ipſis, mediocritatis regula, optima eſt.

Calamitoſi. Propenſior autem benignitas eſſe debebit in calamitoſos, niſi fortè erunt digni calamitate.

Dãdi exigendíque regula. Conueniet autem tum in dando munificum eſſe, tum in exigendo non acerbum: in omníque re contrahenda, emendo, vendendo, conducendo, locando, in vicinitatibus, & confiniis æquum, & facilem: multa multis de ſuo iure concedentem: à litibus verò quantum liceat, & neſcio an, & paulò plus, quam liceat, abhorrentem. Eſt enim non modò liberale, paulùm nonnunquam de ſuo iure cedere: ſed interdum etiam fructuoſum. Habenda autem ratio eſt rei familiaris: quam quidem dilabi ſinere flagitioſum eſt: ſed ita vt illiberalitatis, auaritiæque abſit ſuſpicio.

Liberale.

Rei familiaris ratio

Hoſpitalitas. Rectè à Theophraſto eſt laudata hoſpitalitas. Eſt enim, vt mihi quidem videtur, valdè decorum, patere domus hominum illuſtrium hoſpitibus illuſtribus.

Eſt enim vehementer vtilè his, qui honeſtè poſſe multa volunt per hoſpites apud extraneos populos, valere opibus, & gratia.

Conſiliarij munus. Nam iure cauere, conſilio iuuare, atque hoc ſcientiæ genere prodeſſe multis, vehementer & ad opes augendas pertinet, & ad gratiam. Itaque cùm multa præclara maiorum, tum quàm optimè, conſtituti iuris ciuilis ſummo ſemper in honore cognitio fuit, atque interpretatio.

Cùm

Cùm autem non poſſint omnes, ne multi quidem, aut iuriſperiti eſſe, aut diſerti: licet tamen opera prodeſſe multis: beneficia petentem commendare iudicibus: magiſtratibus vigilare pro re alterius: aut eos ipſos, qui conſulunt, aut defendunt, rogando: quod qui faciunt, plurimum gratiæ conſequuntur: latiſſiméque eorum manat induſtria. *Iuriſperiti & diſerti.*

Iam illud non ſunt admonendi. Eſt enim in promptu vt animaduertant, cùm iuuare alios velint, ne quos offendant. Sæpe enim aut eos lædunt, quos non debent: aut eos, quos non expedit. Si imprudentes, negligentiæ eſt: ſi ſcientes, temeritatis. Vtendum eſt etiam excuſatione aduerſus eos, quos inuitus offendas, quacũque poſſis, quare id quod feceris, neceſſe fuerit: nec aliter facere potueris. *Exhortatio ad iuriſperitos.*

Melius apud bonos, quàm apud fortunatos, beneficium collocari puto. Danda tamen omnino opera eſt, vt omni generi ſatisfacere poſſimus. Sed ſi res in contentionem venerit, nimirum Themiſtoclés eſt autor adhibendus, qui cùm conſuleretur, vtrum bono viro pauperi, an minus probato diuiti filiam collocaret: ego verò, inquit, malo virum, qui pecunia egeat, quàm pecuniam, quæ viro. Sed corrupti mores, deprauatíque ſunt admiratione diuitiarum: quarum magnitudo, quid ad vnumquemque noſtrum pertinet, illum fortaſſe adiuuat qui habet, nec id quidem ſemper. *Apud quos melius beneficium collocatur.*

Extremum autem præceptum in beneficiis, operáque danda, ne quid contra æquitatem contendas: ne quid pro iniuria. Fundamentum eſt enim perpetuæ conſeruationis & famæ, iuſtitia: ſine qua nihil poteſt eſſe laudabile. *Nihil contra æquitatem contendendũ.*

Imprimis videndum eſt ei, qui Rempublicam adminiſtrabit, vt ſuum quiſque teneat: neque de bo- *Reipublicæ adminiſtratio.*

nis priuatorum, publicè diminutio fiat.

Ciuitates quare conſtitutæ. Hanc enim ob cauſſam, maximè vt ſua tuerentur Reſpublicæ, ciuitatéſque conſtitutæ ſunt. Nam & ſi duce natura homines congregabantur: tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, vrbium præſidia quærebant. Danda erit opera, vt omnes intelligant, ſi ſalui eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum. Atque etiam omnes qui Rempublicam gubernabunt, conſulere debebũt, vt earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ.

Suſpicio auaritiæ pellenda. Caput autem eſt in omni procuratione negotij, & muneris publici, vt auaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio.

Auaritia vitiũ omniũ teterrimum. Nullum igitur vitium tetrius eſt (vt eò vnde egreſſa eſt, reuertatur oratio) quàm auaritia, præſertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus. Habere enim quæſtui Rempublicam, non modò turpe eſt, ſed ſceleratum, & nefarium. Nulla autem re conciliare facilius beneuolentiam multitudinis poſſunt ij, qui Reipub. præſunt, quàm abſtinentia, & continentia.

Nam cui res erepta eſt, inimicus eſt cui data eſt.

At verò ille qui accipit iniuriam, & meminit, præ ſe fert ſuum dolorem.

Sũma ratio & ſapientia boni ciuis. Ea eſt ſumma ratio, & ſapientia boni ciuis, commoda ciuium non diuellere: atque omnes æquitate eadem continere.

Reipublicæ tutores Qui Rempublicam tuebuntur, imprimis operam dabunt, vt iuris, & iudiciorum æquitate, ſuum quiſque teneat: vt neque tenuiores propter humilitatem circumueniantur, neque locupletibus ad ſua vel tenenda, vel recuperanda obſit inuidia.

Res familiaris quibus rebus quæri debet. Res autem familiaris quæri debet his rebus, à quibus abeſt turpitudo: conſeruari autem diligentia, & parſimonia: iiſdem etiam rebus augeri.

Ex libro

Ex libro tertio.

Dubitandum non eſt, quin nunquam poſſit vtilitas cum honeſtate contendere.

Detrahere autem alteri, ſui commodi cauſſa, & ex hominis incommodo ſuum commodum augere, eſt magis contra naturam, quàm mors, quàm paupertas, quàm dolor, quàm cætera cūcta, quæ poſſunt aut corpori accidere, aut rebus externis.

Ex alteri⁹ incōmodo ſuum comparare cōmodū, contra naturam.

Nam vt ſibi quiſque malit, quod ad vſum vitæ pertineat, quàm alteri acquirere, conceſſum eſt, non repugnāte natura. Illud quidem natura non patitur, vt aliorum ſpoliis, noſtras facultates, copias, opeſque augeamus. Nec hoc verò ſolum natura, id eſt, iure gentium, ſed etiam legibus populorum, quibus in ſingulis ciuitatibus Reſpublicæ continentur, eodem modo conſtitutum eſt, vt non liceat ſui commodi cauſſa, alteri nocere. Hoc enim ſpectant leges, hoc volunt, incolumē eſſe ciuium cōiunctionem: quam qui dirimūt, eos morte, exilio, vinculis, damno coercent. Atque hoc multò magis exigit ipſa naturæ ratio, quæ eſt lex diuina, & humana: cui parere qui velit (omnes autem parebunt, qui ſecundum naturam volunt viuere) nunquam committet, vt alienum appetat, & id quod alteri detraxerit, ſibi aſſumat. Etenim multò magis eſt ſecundum naturam celſitas animi & magnitudo, itémque communitas, iuſtitia, liberalitas, quàm voluptas, quàm auaritia, quàm diuitiæ: quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere, comparantem cum vtilitate communi, magni animi eſt, & excelſi.

Quò ſpectat leges.

Celſitas & magnitudo animi.

Itémque magis eſt ſecundum naturam pro omnibus gentibus, ſi fieri poſſit, conſeruandis, aut iuuādis maximos labores, moleſtiáſque ſuſcipere: imitantes Herculem illum, quem hominum fama benefi-

Quid maximè ſecū dū naturam.

ciorum memor, in concilio cæleſtium collocauit: quàm viuere in ſolitudine, non modò ſine vllis moleſtiis, ſed etiam in maximis voluptatibus: abundantem omnibus copiis, vt excellas etiam pulchritudine, & viribus.

Homo naturæ obediens. Quocirca optimo quiſque & ſplẽdidiſſimo ingenio, longè illam vitam huic anteponit. Ex quo efficitur, hominem naturæ obedientem, homini nocere non poſſe.

Ciuibus & externis conſulendum. Qui autem rationem ſuorum ciuium dicunt habendam, externorum negant, hi dirimunt communem humani generis ſocietatem: qua ſublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, iuſtitia funditus tollitur. Quæ qui tollunt, etiam aduerſus Deos immortales impij iudicandi ſunt.

Iuſtitia, virtutum reliquarũ domina. Iuſtitia enim vna virtus omnium eſt domina, & regina virtutum.

Suum cuique incommodum ferendum eſt potius, quàm de alterius commodis detrahendum.

Vtile & honeſtum. Nihil verò vtile, quod non idem honeſtum: nihil honeſtum, quod non idem vtile. Et vbi turpitudo, ibi vtilitas eſſe non poteſt. Ad honeſtatem enim nati ſumus.

Nihil iniuſtè faciendum. Satis enim nobis, ſi modò in Philoſophia aliquid profecimus, perſuaſum eſſe debet, ſi omnes deos, hominéſque celare poſſimus, nihil tamen auarè, nihil iniuſtè, nihil libidinoſè, nihil incontinenter eſſe faciendum.

Honeſta. Honeſta enim bonis viris, non occulta quæruntur.

Noſtræ vtilitates non omittendæ. Nec noſtræ nobis vtilitates omittendæ ſunt, aliiſque tradendæ, cùm iis ipſis egeamus: ſed ſuæ cuique vtilitati, quod ſine alterius iniuria fiat, ſeruiẽdum eſt. Scitè enim Chryſippus, qui ſtadium, inquit, curret, eniti, &

eniti, & contendere debet quàm maximè poſſit, vt vincat: ſupplantare eum, qui cum eo certet, aut manu depellere, nullo modo debet. Sic in vita ſibi quemque petere, quod pertineat ad vſum, non iniquum eſt: ſed alteri diripere, ius non eſt.

Neque contra Rempublicam, neque contra iuſiurandum, ac fidem, amici ſui cauſſa, vir bonus faciet. *Vir bonus.*

Nam ſi omnia facienda ſint quæ amici velint: non amicitiæ tales, ſed coniurationes putandæ ſunt. *Coniurationes.*

Nam cùm id, quod vtile videtur in amicitia, cum eo quod honeſtum eſt, comparatur, iaceat vtilitatis ſpecies, valeat honeſtas. Cùm autem in amicitia quæ honeſta non ſunt, poſtulantur, fides & religio anteponantur amicitiæ. *Vtilitatis & honeſtatis in amicitia comparatio.*

Nihil quod crudele, vtile. Eſt enim hominum naturæ, quàm ſequi debemus, maximè inimica crudelitas. Tale etiam, qui peregrinos vrbibus vti prohibent eóſque exterminant. Nam eſſe pro ciue, qui ciuis non ſit, rectum eſſe non licet: vſu verò vrbis prohibere peregrinos, ſanè inhumanum eſt. *Crudelitas*

Ex omni vita ſimulatio, diſſimulatióque tollenda eſt. *Simulatio tollenda.*

Tollendum eſt igitur in rebus contrahendis omne mendacium. *Mendacium.*

Ennius ait, nequicquam ſapientem ſapere, qui ipſe ſibi prodeſſe nequiret. *Sibi prodeſſe.*

Eſt autem ſapientis, nihil contra mores, leges, inſtituta facere, habere rationem rei familiaris. Neque enim ſolùm nobis diuites eſſe volumus: ſed liberis, propinquis, amicis, maximéque Reipublicæ. Singulorum enim facultates, & copiæ, diuitiæ ſunt ciuitatis. *Sapientis proprium.*

Nec vlla pernicies vitæ maior inueniri poteſt, quàm in malitia ſimulatio intelligentiæ. *Simulatio intelligentia.*

Mihi quidem etiam veræ hæreditates non ho-

Hæredita tes non ho neſta. neſtæ videntur, ſi ſint malitioſis officiorum blandiciis, non veritate, ſed ſimulatione quæſitæ. Atque in talibus rebus, aliud vtile interdum, aliud honeſtū videri falſò ſolet.

Homo iuſtus. Homo iuſtus, & is, quem ſentimus bonum virum, nihil cuiquam, quod in ſe transferat, detrahet.

Vir bonus. Hoc qui admiratur, is ſe quid ſit vir bonus, neſcire fatetur. At verò ſi quis voluerit, animi ſui complicatam notionem euoluere, iam ſeipſum doceat, eum virum bonum eſſe, qui proſit quibus poſſit, & noceat nemini, niſi laceſſitus iniuria.

Itaque talis vir non modò facere, ſed ne cogitare quidem quicquam audebit, quod non valeat prædicare. Hæc nonne turpe eſt, Philoſophos dubitare, quæ nec ruſtici quidem dubitant?

Quæ virū bonum deceant. Cadit igitur in virum bonum mentiri emolumēti ſui cauſſa, criminari, præripere, fallere? Nihil profectò minus. Eſt ergo vlla res tanta, aut commodum vllum tam expetendum, vt viri boni & ſplendorem, & nomen amittas? Quid eſt quod afferre vtilitas iſta poſſit, ſi boni viri nomen eripuerit, & fidem iuſtitiámque detraxerit? Quid enim intereſt, vtrum ex homine conuertat ſe quis in belluam: an in hominis figura, immanitatem gerat belluæ? Qui ſi omnia recta, & honeſta negligunt, dummodo potentiam conſequantur: nonne immanitatem belluæ gerunt?

Amor patriæ, patri anteponendus. Quid ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater, ſilebit ne filius? Immò verò obſecrabit patrem filius, id ne faciat. Si nihil proficiet, accuſaturum minabitur etiam. Ad extremum, ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem ſaluti patris anteponet.

Pacta & promiſſa. Pacta, & promiſſa ſemper ſeruanda ſunt, quæ nec vi, nec dolo (vt prætores dicere ſolent) facta ſunt.

At ne

At ne illa quidem promiſſa ſeruanda ſunt, quæ non ſunt iis ipſis vtilia, quibus illa promiſeris.

Promiſſum potius non faciendum, quàm tetrum facinus admittere.

Neque ſemper depoſita reddenda ſunt. Si gladium quis ſana mēte apud te depoſuerit, & repetat inſanus: reddere peccatum: officium non reddere. Quod ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriæ, reddes ne depoſitum? Non credo. Facies enim contra Rempublicam, quæ debet eſſe chariſſima. Sic multa, quæ honeſta videntur natura, temporibus fiunt non honeſta. Facere promiſſa, ſtare conuentis, reddere depoſita, commutata vtilitate, fiunt non honeſta.

Depoſita non ſemper reddēda.

Peruertunt homines ea, quæ ſunt fundamenta naturæ, cùm vtilitatem ab honeſtate ſeiungunt. Omnes enim expetimus vtilitatem, ad eámque rapimur: nec facere aliter vllo modo poſſumus. Nam quis eſt, qui vtilia fugiat? Aut quis potius eſt, qui ea non ſtudioſiſſimè proſequatur? Sed quia non poſſumus, niſi laude, decore, honeſtate, vtilia reperire: proptereà illa prima, & ſumma habemus. Vtilitatis verò nomen non tam ſplendidum, quàm neceſſarium putamus.

Fundamēta naturæ quomodo peruertuntur.

Vnde omnium regula vna eſt quam tibi cupio eſſe notiſſimam. Aut illud quod vtile eſſe videtur, ne turpe ſit: aut ſi turpe eſt, ne videatur eſſe vtile. Eſt enim iuſiurandum, affirmatio religioſa. Quod autem affirmādo, quaſi deo teſte, promiſeris, id ſeruandū eſt.

Regula inter vtile, & turpe.

Non enim falſum iurare, peierare eſt: ſed quod ex animi tui ſententia iuraueris, ſicut verbis concipitur more noſtro, id non facere, periurium eſt.

Falſum iurare, peierare eſt.

Nam nullum vinculum ad aſtringendam fidem iureiurando noſtri maiores eſſe arctius voluerunt.

Iuſiurandum.

Ius & fides in bello ſeruāda

Eſt autem ius etiam bellicum, fidéſque iureiurandi, ſæpe cum hoſte ſeruanda. Non debet ratum eſſe, quod actum eſt per vim: quaſi non forti viro vis poſſit adhiberi.

SENTENTIÆ, EX LIBRO *de Amicitia deſumptæ.*

Sapiēs nō ſolum natura & moribus, ſed etiam ſtudio & doctrina.

EXISTIMARE debes omnium oculos in te eſſe coniectos: vnum te ſapientem & appellant, & exiſtimant, non ſolùm natura & moribus, ſed etiam ſtudio & doctrina. Neque ſicuti vulgus, ſed vt eruditi ſolent, appellant ſapientem.

Vera ſapientia.

Hanc eſſe ſapientiam in te exiſtimant, quòd omnia tua in te poſita eſſe ducas, humanóſque caſus virtute inferiores putes. Nullo caſu arbitror hoc conſtanti homini poſſe contingere, vt nulla intermiſſio fiat officij. Tu autem, quòd mihi tanti tribui dicis, quantùm ego ne agnoſco, nec poſtulo, facis amicè.

Suis incōmodis angi.

Suis incommodis grauiter angi, non amicum, ſed ſeipſum amantis eſt.

Quid dicam de moribus facillimis: de pietate in matrem, liberalitate in ſorores, bonitate in ſuos, iuſtitia in omnes? Hæc omnia nota ſunt nobis. Quàm autem huic ciuitati charus fuerit, mœrore funeris iudicatum eſt. Quid ergo paucorum annorum acceſſio, hunc iuuare potuiſſet?

Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel

vel gloria, vt nihil vltra poſſet accedere: moriendi autem ſenſum celeritas abſtulit.

Ego verò vos hortari tantùm poſſum, vt amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis. Nihil eſt enim tam naturæ aptum, támque conueniens ad res vel ſecundas, vel aduerſas. Sed hoc imprimis cenſeo, niſi inter bonos, amicitiam eſſe non poſſe. *Amicitia omnibus rebus humanis antepo nenda.*

Nos autem ea, quæ ſunt in vſu, vitáque communi: non ea, quæ finguntur, aut optantur, ſperare debemus. *Quæ verè ſunt optāda.*

Agamus igitur pingui (vt aiunt) Mineruа. Qui ita ſe gerunt, qui ita viuunt, vt eorum probetur fides, integritas, æquitas, liberalitas: nec ſit in eis vlla cupiditas, libido, auaritia, ſitque magna conſtantia, hos viros bonos, vt habiti ſunt, ſic etiam appellandos putemus, qui aſſequantur, quantum homines poſſunt, naturam, optimam benè viuendi ducem. Sic enim perſpicere videor mihi, ita natos eſſe nos, vt inter omnes ſocietas quædam ſit: maior autem, vt quiſque proximè accedit. *Viri boni, qui appellandi.*

Itaque ciues potiores ſunt, quàm peregrini: propinqui, quàm alieni. Cum his enim natura ipſa peperit amicitiam: ſed ea ſatis non habet firmitatis. Nanque hoc præſtat amicitia propinquitati, quòd ex propinquitate beneuolentia tolli poteſt: ex amicitia non poteſt. Sublata enim beniuolentia, amicitiæ nomen tollitur: propinquitatis manet. *Ciues potiores, quàm peregrini.*

Quanta autem vis amicitiæ ſit, ex hoc intelligi poteſt maximè, quòd ex infinita ſocietate humani generis, quam conciliauit ipſa natura, ita contracta res eſt, in anguſtúmque deducta, vt omnis charitas, aut inter duos, aut paucos coniungeretur. Eſt enim amicitia nihil aliud, niſi omnium diuinarum, humanarúmque rerum cum beneuolentia, & chari- *Amicitiæ vis quāta.* *Amicitia quid.*

tate, ſumma conſenſio. Qua quidem haud ſcio, an, excepta ſapientia, quicquam melius ſit hominibus à Dijs immortalibus datum.

Nihil virtute præclarius. Diuitias alij præponunt, bonam alij valetudinem, alij potentiam, alij honores, alij quidem voluptates corporis. Beluarum hoc quidem extremum eſt. Illa autem ſuperiora, & caduca, & incerta ſunt: poſita non tàm in noſtris conſiliis, quàm in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute ſummum bonum ponũt, illi quidem præclarè agunt: ſed hæc ipſa virtus, amicitiam & gignit, & continet: quia nec ſine virtute, amicitia vllo pacto eſſe poteſt.

Amicitiæ oportunitates. Tales igitur inter viros amicitia, tantas oportunitates habet, quantas vix queo dicere. Principiò, quis poteſt eſſe vita vitalis, vt ait Ennius, qui non in amici mutua beneuolentia conquieſcat? Quid dulcius, quàm habere quo cum omnia audeas ſic loqui, vt tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æquè ac tu ipſe gauderet? Aduerſas verò res ferre difficile eſſet, ſine illo, qui grauius etiam quàm tu ferret.

Amicitiæ laus. Denique cæteræ res, quæ expetuntur, oportunæ ſunt ſingulæ rebus ferè ſingulis. Diuitiæ, vt vtare: opes, vt colare: honores, vt laudère: voluptates, vt gaudeas: valetudo, vt dolore careas, & muneribus fungare corporis. Amicitia res plurimas continet: quocunque te verteris, præſto eſt: nullo modo, nullo loco excluditur. Nunquam intempeſtiua, nunquàm moleſta eſt. Itaque non aqua, non aëre, non igni (vt aiunt) locis pluribus vtimur, quàm amicitia. Neque ego nunc de vulgari, aut mediocri, quæ tamen ipſa delectat, & prodeſt: ſed de vera, & perfecta loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit. Nam & ſecundas res ſplendidiores facit, & aduerſas partiens,

communicánſque leuiores.

Cúmque plurimas, & maximas commoditates amicitia contineat: tamen illa nimirum præſtat omnibus, quòd bona ſpe prælucet in poſterum. Nec debilitari animos, aut cadere patitur: verum etiam amicum qui intuetur, tanquam exemplar aliquod intuetur ſui. Quocirca & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, & (quod difficilius auditu eſt) mortui viuunt. Tantus eos honos, memoria, deſiderium proſequitur amicorum. Ex quo illorum beata mors videtur, horum vita laudabilis. *Bona ſpe prælucet in poſterũ amicitia.*

Quòd ſi exemeris ex rerum natura beneuolentiæ coniunctionem, nec domus vlla nec vrbs ſtare poterit, nec agri quidem cultus permanebit. Id ſi minus intelligitur: quanta vis amicitiæ, concordiæque ſit ex diſſenſionibus, atque diſcordiis percipi poteſt. Quæ enim domus tam ſtabilis, quæ tam firma ciuitas eſt, quæ non odiis, atque diſſidiis funditus poſſit euerti? Ex quo quantum boni ſit in amicitia, iudicari poteſt. *Nihil ſine amicitia ſtare poteſt.*

Amor enim, ex quo amicitia nominata eſt, princeps eſt ad beneuolentiam coniungendam. Nam vtilitates quidem etiam ab his percipiuntur ſæpe, qui ſimulatione amicitiæ coluntur, & obſeruantur temporis cauſſa. In amicitia autem, nihil fictum, nihil ſimulatum: ſed quicquid eſt, id verum eſt, & voluntarium. Quapropter à natura mihi videtur potius, quàm ab indigentia orta amicitia: & applicatione magis animi cum quodam ſenſu amandi, quàm cogitatione quantum illa res vtilitatis eſſet habitura. Quod quidem quale ſit, etiam in beſtiis quibuſdam animaduerti poteſt: quæ ex ſe natos ita amant ad tempus, ita ab eíſque amãtur, vt facilè earum ſenſus appareat: quod in homine eſt multò euidentius. Primum ex ea charitate, quæ eſt inter natos & parentes: quæ dirimi, niſi *Amor princeps ad beneuolentiam coniungendam.* *In amicitia nihil fictum.* *Charitas.*

deteſtabili ſcelere non poteſt. Deinde, cùm ſimilis ſenſus exiſtit amoris, ſi quem nacti ſumus, cuius & moribus, & natura congruamus: Ita quòd in eo quaſi lumen aliquod probitatis & virtutis perſpicere videamur. Nihil enim eſt virtute amabilius: nihil quod magis alliciat ad diligendum: quippe cum propter virtutem & probitatem, etiam eos, quos nunquam vidimus, quodammodo diligamus.

Nihil virtute amabilius.

Quod ſi tanta vis probitatis eſt, vt eam vel in eis, quos nunquàm vidimus, vel(quod maius eſt) in hoſte etiam diligamus: quid mirum eſt, ſi animi hominum moueantur, cùm eorum, quibus cum vſu coniuncti eſſe poſſunt, virtutem, & probitatem conſpicere videantur? Quanquam confirmatur amor, & beneficio accepto, & ſtudio perſpecto, & conſuetudine adiuncta: quibus rebus ad illum primum motum animi & amoris adhibitis, admirabilis quædam exardeſcit beniuolentiæ magnitudo: quam ſi qui putant ab imbecillitate proficiſci, vt ſit per quam aſſequatur quiſque quod deſideret, humilem ſanè relinquunt, & minimè generoſum (vt ita dicam) ortum amicitiæ, quam ex inopia, atque indigentia naſci volunt.

Amor quo modo confirmatur.

Ad amandũ non ſpe mercedis adducimur, ſed amoris fructu.

Vt enim benefici, liberaléſque ſumus, non vt exigamus gratiam (neque enim beneficium fœneratur) ſed natura propenſi ad liberalitatem ſumus: ſic amicitiam non ſpe mercedis adducti, ſed quòd eius omnis fructus in ipſo amore ineſt, expetẽdam putamus.

Nam ſi vtilitas amicitiam conglutinaret, eadem commutata diſſolueret. Sed quia natura mutari non poteſt: idcirco veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt.

Vtilitas amicitiã nõ cõglutinat

Scipio nihil difficilius eſſe dicebat, quàm amicitiam vſque ad extremum vitæ diem permanere.

Scipionis dictum.

Mutari etiam mores hominum ſæpe dicebat, aliâs ex diuerſis rebus, aliâs ætate ingraueſcente: atque ea-

rum

rum rerum exemplum ex ſimilitudine ineuntis ætatis capiebat, quòd ſummi puerorum mores ſæpe vnà cum prætexta, vel toga deponerentur. Sin autem longius in adoleſcentiam perduxiſſent: dirimi tamen interdum contentione, vel luxuriæ conditione, vel cõmodi alicuius, quod idem ádipiſci vterque nõ poſſet. Quod ſi qui longius in amicitia profecti eſſent, tamẽ labefactari, ſi in honoris contentionem incidiſſent. Peſtem enim nullam maiorem eſſe in amicitiis, quã in pleríſque pecuniæ cupiditatem. In optimis quibuſque honoris certamen, & gloriæ: ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſſimos extitiſſe.

Mutatiò morum. amicitias diſſoluit.

Honoris contentio & pecuniæ cupiditas, amicitiam diſſipat.

Magna etiam diſſidia, & plerunque iuſta naſci dicebat, quum aliquid ab amicis quod rectum non eſſet, poſtularetur: vt aut libidinis miniſtri, aut adiutores eſſent ad iniuriam. Quod qui recuſarent, quã uis honeſtè id facerent, ius tamen amicitiæ deſerere arguerentur ab his, quibus obſequi nollent. Illos autem qui quiduis ab amico auderent poſtulare, poſtulatione ipſa profiteri, omnia ſe amici cauſſa eſſe facturos, eorum querela inueterata, non modò familiaritates extingui ſolere, ſed etiam odia gigni ſempiterna.

Rectũ nõ poſtulare, amicitias diruit.

Nulla enim excuſatio peccati, ſi amici cauſſa peccaueris. Nam cum conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiã permanere, ſi à virtute deflexeris. Quod ſi rectum ſtatuerimus, vel concedere amicis quicquid velint, vel impetrare ab his quicquid velimus, perfecta quidem ſapientia ſumus, ſi nihil habeat res vitij.

A virtute deflectere, amici cauſa non debemus.

Hæc igitur in amicitia lex ſanciatur, vt neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. Turpis enim excuſatio eſt, & minimè accipienda, tum in cæteris peccatis, tum ſi quis contra Rempublicam ſe

Lex amicitiæ.

amici cauſſa feciſſe fateatur.

Reipublicæ cura.

Mihi non minori curæ eſt qualis reſpublica poſt mortem meam futura ſit, quàm qualis ſit hodie.

Prima lex amicitiæ.

Hæc igitur prima lex in amicitia ſanciatur, vt ab amicis honeſta petamus, & amicorum cauſſa honeſta faciamus: nec expectemus quidem dum rogemur, ſed ſtudium ſemper aſſit, cunctatio abſit, conſilium verum dare gaudeamus liberè. Plurimùm in amicitia amicorum benè ſuadentium valet autoritas, eáque adhibeatur ad monendum non modò apertè, ſed etiam acriter, ſi res poſtulabit, & adhibitæ pareatur.

Solē è mūdo tollunt, qui amicitiam auferunt.

Solem enim è mundo tollere videntur, qui amicitiam de vita tollunt: qua à diis immortalibus nihil melius habemus, nihil iucundius.

Proprium animi benè cōſtituti.

Itaque videas rebus iniuſtis iuſtos maximè dolere, imbecillibus fortes, flagitioſis modeſtos. Ergo hoc proprium eſt animi benè conſtituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrariis. Quamobrem ſi cadit in ſapientem animi dolor (qui profectò cadit, niſi ex eius animo extirpatam humanitatem arbitremur) quæ cauſſa eſt, cur amicitiam funditus tollamus è vita, ne aliquas propter eam ſuſcipiamus moleſtias?

Nihil abſurdius, quàm delectari rebus inanibus.

Quid enim tam abſurdum eſt, quàm delectari multis rebus inanib⁹, vt honore, vt gloria, vt ædificio, vt veſtitu cultúque corporis: animo autē virtute prædito, atque eo qui vel amare, vel (vt ita dicam) readamare poſſit, non admodum delectari? Nihil enim eſt remuneratione beniuolentiæ, nihil viciſſitudine ſtudiorum officiorúmque iucūdius.

Morum ſimilitudo.

Quod ſi etiam illud addimus, quod rectè addi poteſt, nihil eſſe quod ad rem ſe vllam tam alliciat, & tam attrahat, quàm ad amicitiam morum ſimilitudo: conceditur profectò verum eſſe, vt bonos boni diligant, aſciſcántque ſibi quaſi propinquitate coniunctos, atque natura.

Nam

Nam quis eſt (proh deorum atque hominum fidem) qui velit vt neque diligat quemquem: neque ipſe diligatur ab vllo? Circunfluere omnibus copiis, atque in omni rerum abundantia pauperrimè viuere? Hæc enim eſt tyrannorum vita, nimirum in qua nulla fides, nulla charitas, nulla ſtabilis poteſt eſſe beniuolentiæ fiducia: omnia ſemper ſuſpecta, atque ſollicita ſunt: nullus amicitiæ locus. Quis enim aut eum diligat, quem metuat: aut eum, à quo ſe metui putat? Coluntur tamen ſimulatione duntaxat ad tempus. Quod ſi fortè (vt fit plerunque) ceciderint, tum intelligitur, quàm fuerint inopes amicorum. Non enim ſolùm ipſa fortuna cæca eſt: ſed eos ètiam plerunque cæcos efficit, quos complexa eſt. Itaque illi efferuntur ferè faſtigio & contumacia: nec quicquam inſipiente fortunato intolerabilius fieri poteſt.

Tyrãnorũ vita eſt nolle diligere nec pati ab aliquo diligi.

Fortuna cæca.

Quid autem ſtultius, quàm vt plurimum copiis, facultatibus, opibus poſſint, cætera parare quæ parãtur, pecuniam, equos, famulos, veſtes, gloriam, vaſa precioſa: amicos non parare, optimã & pulcherrimã vitæ (vt ita dicam) ſupellectilem? Etenim cætera cum parant, cui parentur neſciunt, nec cuius cauſſa laborent. Eius enim eſt iſtorum quicquid, qui vincit eos viribus. Amicitiarum ſua cuique permanet ſtabilis & firma poſſeſſio: vt etiam ſi illa maneant: quæ ſunt quaſi dona fortunæ: tamen vita inculta, & deſerta ab amicis non poſſit eſſe iucunda.

Nihil ſtultius quàm bona fortunæ parare, amicitiam negligere.

Quàm multa enim quæ noſtra cauſſa nunquam faceremus, amicorum cauſſa facimus! Precari ab aliquo, indigno ſupplicare, tum in aliquem acerbius inuehi, inſectaríque vehementius, quæ in noſtris rebus non ſatis honeſtè, in amicorum fiunt honeſtiſſimè. Multæque ſunt res, in quibus de ſuis commodis viri boni multa detrahunt, detrahíque patiuntur: vt ijs a-

Multa amicorum cauſſa facimus, quæ noſtra facere nolemus.

mici potius, quàm ipſi fruantur.

Aſſentatione beneuolentiam colligere, turpe.

Beneuolentiam ciuium blanditiis, & aſſentando colligere, turpe eſt: virtus, quam ſequitur charitas, minimè repudianda eſt. Sunt igitur firmi, & ſtabiles, & conſtantes eligendi, quos ad amicitiam idoneos iudicamus: cuius generis eſt magna penuria · & iudicare difficile eſt ſanè, niſi prius expertum. Experiendum eſt autem in ipſa amicitia.

Ita percurrit amicitia iudicium, tollítque experiendi poteſtatem.

Imbecillitas naturæ humanæ.

Vbi eos inueniemus, qui honores, magiſtratus, imperia, poteſtates, opes, amicitiæ non anteponant? Vt cum ex altera parte propoſita hæc ſint, ex altera vis amicitiæ, non multò illa malint? Imbecilla eſt enim natura humana ad contemnendam potentiam: quam etiam ſi neglecta amicitia conſecuti ſunt, excuſatum iri arbitrantur: quia non ſine magna cauſa ſit neglecta amicitia. Itaque veræ amicitiæ difficillimè reperiuntur in his, qui in honoribus Reipublicæ verſantur.

Stabilitas in amicitia.

Fides firmamentū ſtabilitatis.

Tortuoſū ingenium, & multiplex.

Qui igitur vtraque in re grauem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitia præſtiterit, hunc ex maximè raro hominum genere debemus iudicare, & penè diuino. Firmamentum autem ſtabilitatis, conſtantiæque eius, quam in amicitia quærimus, fides eſt. Nihil enim ſtabile, quod infidum eſt. Simplicem prætereà, & cōmunem, & conſentientem, id eſt, qui rebus eiſdem moueatur, eligi par eſt: quæ omnia pertinent ad fidelitatem. Neque enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium, & tortuoſum. Neque verò qui non eiſdem rebus mouetur, naturáque conſentit, aut ſtabilis, aut fidus eſſe poteſt.

Addendum eódem eſt, vt ne criminibus aut inferendis delectetur amicus, aut credat oblatis: quæ omnia

nia

nia pertinent ad eam, quam iamdudum tracto, conſtantiam. Ita fit verum illud, quod dicitur: Amicitiam niſi inter bonos eſſe non poſſe. Eſt enim viri boni, quem eundem ſapientem licet dicere, hæc duo tenere in amicitia: primum ne quid fictum ſit, neúe ſimulatum. Apertè enim amare, vel odiſſe alium, magis ingenuum eſt, quàm fronte occultare ſententiam. Deinde non ſolùm illatas ab aliquo criminationes repellere: ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum, ſemper aliquid exiſtimantem ab amico fuiſſe violatum.

Conditiones veri ac ſtabilis amici.

Duo tenēda in amicitia.

Accedat huc ſuauitas quædā oportet ſermonum, atque morum, haud quaquam mediocre condimentum amicitiæ. Triſtitia autem, & in omni re ſeueritas abſit: habent illa quidem grauitatem: ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnē comitatem, facilitatémque procliuior.

Sermonū ſuauitas.

Non enim debent eſſe amicitiarum, ſicut aliarum rerum ſocietates. Veterrima quæque, vt vina quæ vetuſtatem ferunt, eſſe debent ſuauiſſima. Verúmque illud eſt, quod vulgò dicitur: Multos modios ſalis ſimul edendos eſſe: vt amicitiæ munus expleatur. Nouitates autem ſi ſpem afferunt, vt tanquàm in herbis non fallacibus fructus appareat, nō ſunt illæ quidem repudiandæ: vetuſtas tamen ſuo loco conſeruanda eſt. Maxima enim vis eſt vetuſtatis, & conſuetudinis. Atqui in ipſo equo, ſi nulla res impediat, nemo eſt, qui non eo, quo conſueuit, libentius vtatur, quàm intractato, & nouo. Nec modò in hoc quod eſt animal, ſed in his etiam, quæ ſunt inanimata, conſuetudo valet: cùm locis ipſis delectemur montuoſis, & ſyluestribus, in quibus diutius commorati ſumus. Sed maximum eſt in amicitia, ſuperiorem eſſe parem inferiori.

Amicitiæ & aliarū rerum ſocietatis differentia.

Nouitates in amicitia non repudiādæ.

Fructus autem ingenij, & virtutis, omníſque præ-

Fructus ingenii, & virtutis. ſtantiæ, tum maximus capitur, cùm in proximum quemque confertur. Vt igitur ij, qui ſunt in amicitiæ, coniunctioniſque neceſſitudine ſuperiores, exæquare ſe cum inferioribus debent: ſic inferiores non dolere debent, ſe à ſuis amicis, aut ingenio, aut fortuna, aut dignitate ſuperari.

Officia exprobrantes odioſi. Odioſum ſanè genus hominum, officia exprobrantium: quæ meminiſſe debet is potius, in quem collata ſunt: non commemorare, qui contulit.

Morum diſsimilitudo ſeparat amicitias. Diſpares mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo, ſeparat amicitias. Nec ob aliã cauſſam vllam boni improbis, improbi bonis amici eſſe non poſſunt, niſi quòd tanta eſt inter eos, quanta maxima poteſt eſſe morum, ſtudiorúmque diſtantia.

In omni re conſiderandum eſt, & quid poſtules ab amico, & quid patiare à te impetrari.

In amicitia quid cauẽdum potiſsimũ. Nihil eſt enim turpius, quàm cum eo bellum gerere, quo cum familiariter vixeris. Quamobrem, primùm danda eſt opera, ne qua amicorum diſſidia fiant. Túmque etiam cauendum eſt, ne in graues inimicitias amicitiæ ſe conuertant: ex quibus iurgia, maledicta, contumeliæque gignuntur: quæ tamen, ſi tolerabiles fuerint, ferendæ erunt: & hic honos, veteri amicitiæ tribuendus eſt: vt is in culpa ſit qui faciat, non is qui patiatur iniuriam.

Non nimis citò diligendũ. Omnino omnium vitiorum horum, atque incõmodorum vna cautio eſt, atque vna prouiſio, vt ne nimis citò diligere incipiant, neúe non dignos. Digni autem amicitia ſunt, quibus in ipſis ineſt cauſſa, cur diligantur. Rarum genus equidem: omnia præclara rara: nec quicquam difficilius, quàm reperire, quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum.

Quorundam error in amicitia. Sed plerique neque in rebus humanis quicquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum eſt: & amicos tanquã

pecudes

pecudes eos potiſſimum diligunt, à quibus ſperant ſe maximũ fructum eſſe capturos. Itaque pulcherrima illa, & maximè naturali carent amicitia per ſe, & propter ſe expetenda, nec ipſi ſibi exemplo ſunt.

Verus igitur amicus nunquam reperitur. Eſt enim is amicus quidem, qui eſt tanquàm alter idem, qui & ſe ipſe diligit, & alterum acquirit: cuius animum ita cum ſuo commiſceat, vt efficiat penè vnum ex duobus. Sed plerique peruerſè, ne dicam impudenter, talem amicum volunt, quales ipſi eſſe non poſſunt: quæque ipſi non tribuunt amicis, hæc ab ipſis deſiderant. *Verus amicus nunquam reperitur.*

Par eſt autem primùm, ipſum eſſe virum bonum: tum, alterum ſimilem ſui quærere. In talibus enim ſtabilitas amicitiæ confirmari poteſt, cùm homines beniuolentia coniuncti, primùm cupiditatibus his, quibus cæteri ſeruiunt, imperabunt: deinde æquitate, iuſtitiáque gaudebunt: omniáque alter ab altero ſuſcipiet: nec quicquam, niſi honeſtum, & rectum, alter ab altero poſtulabit: neque ſolùm colent ſe inter ſe, ac diligent, ſed etiam verebuntur. Nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaque perniencioſus error eſt in his, qui exiſtimant libidinũ, peccatorúmque omnium patere in amicitia licentiam. Virtutum enim amicitia adiutrix à natura data eſt, non vitiorum comes: vt quoniam ſolitaria non poſſit virtus ad ea quæ ſumma ſunt peruenire, coniuncta & conſociata cum altera, perueniret. *Quid maximè requiratur in veris amicis.* *Verecundia maximum ornamentũ amicitiæ.*

Cùm iudicaueris, diligere oportet: non cum dilexeris, iudicare. *Iudicium, amicitiam præcedere debet.*

Multi deſpiciunt diuitias, quos paruo contentos, tenuis victus, cultúſque delectat. Honores verò, quorum cupiditate quidam inflammantur, quàm multi

Honores à multis contempti. ita contemnunt, vt nihil inanius, nihil eſſe leuius exiſtiment: Itemque cætera, quæ quibuſdam admirabilia videntur, permulti ſunt, qui pro nihilo putent: de amicitia omnes ad vnum idem ſentiunt: & ij, qui ad Rempublicam ſe contulerunt: & ij, qui in rerum cognitione, doctrináque delectantur: & ij, qui ſuum negotium gerunt ocioſè: poſtremò hi, qui ſe totos voluptatibus tradiderunt, ſine amicitia, vitam eſſe nullam ſentiunt, ſi modò aliqua velint ex parte liberaliter viuere.

Amicitia per omniũ vitas ſerpit. Serpit enim neſcio quomodo per omnium vitas amicitia, nec vllam ætatis degendæ rationem patitur expertem eſſe ſui: quin etiam ſi aſperitate ea eſt aliquis, & immanitate naturæ, vt congreſſus & ſocietatem hominum fugiat, atque oderit: tamen is pati non poſſit, vt nõ acquirat aliquem, apud quem virus ſuæ acerbitatis euomat.

Vſus amicitiæ varius & multiplex. Natura nihil ſolitarium amat.

Eſt enim varius, & multiplex vſus amicitiæ: multæque cauſſæ ſuſpicionum, offenſionúmque dantur, quas tum euitare, tum eleuare, tum velle ferre, ſapientis eſt. Vna illa ſubleuanda eſt offenſio: vt & vtilitas in amicitia, & fides retineatur. Nam & monendi amici ſæpè ſunt, & obiurgandi: & hæc accipienda ſunt amicè, cum beniuolè fiunt.

Veritas moleſta, gratum obſequium. Sed neſcio quomodo verum eſt, quod in Andria meus familiaris dixit: Obſequium amicos, veritas odium parit. Moleſta eſt enim veritas: ſiquidem ex ea naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ: ſed obſequium multò moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit. Maxima autem culpa in eo eſt, qui & veritatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur.

Qualis ra- Omnis igitur hac in re habenda eſt ratio, & diligentia

gentia. Primùm, vt monitio acerbitate, deinde vt obiurgatio contumelia careat. In obſequio autem veritas adſit: aſſentatio vitiorum adiutrix procul amoueatur, quæ non modò amico, ſed ne libero quidem digna eſt. Aliter enim cum tyranno, aliter cum amico viuitur. Cuius autem aures veritati clauſæ ſunt, vt ab amico verum audire nequeat, huius ſalus deſperãda eſt. Scitum eſt enim illud prouerbium Catonis: Multò meliùs acerbos inimicos de quibuſdam mereri, quàm eos amicos, qui dulces videantur. Illos verum ſæpe dicere, hos nunquam. Atque illud abſurdũ eſt, quòd dum monentur, eam moleſtiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, qua debent vacare. Peccaſſe enim ſe non anguntur, obiurgari moleſtè ferunt: quod contrà oporteret.

tio & diligentia habenda eſt in obiurgãdo amico.

Cuius ſalus deſperanda.

Vt igitur monere & moneri, proprium eſt veræ amicitiæ, & quidem alterum liberè facere non aſperè, alterum patienter accipere non repugnanter: ſic habendum eſt, nullam in amicitiis peſtem eſſe maiorem, quàm adulationem, blanditiam, & aſſentationem.

Proprium veræ amicitiæ.

Cum autem omnium rerum ſimulatio vitioſa eſt (tollit enim iudicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè: delet enim veritatem, ſine qua nomen amicitiæ manere non poteſt. Nam cùm amicitiæ vis ſit in eo, vt vnus quaſi animus fiat ex pluribus: qui id fieri poterit, ſi non in vnoquoque quidem vnus animus erit, idemque ſemper, ſed varius, commutabilis, & multiplex: Quid enim poteſt eſſe tam flexibile, támque deuium, quàm animus eius, qui ad alterius non modò ſenſum atque voluntatem: ſed etiam vultum, atque ad nutum conuertitur? Negat quis? Nego. Ait? & aio. Poſtremò imperaui egomet mihi omnia aſſentari: vt Terentius ait.

Rerum ſimulatio vitioſa.

Vis amicitiæ.

Blandus amicus à vero facilimè internoſci poteſt. Secerni autem blandus amicus à vero, & internoſci tàm poteſt adhibita diligentia, quàm omnia fucata, & ſimulata à ſynceris, atque veris.

Aſſentatio quibus nocet. Aſſentatio quamquàm pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt, niſi ei, qui eam recipit, atque in illa delectatur.

Virtute enim ipſa non tam multi præditi eſſe, quàm videri volunt.

Milites glorioſi. Hos delectat aſſentatio: ijs fictus ad eorum voluntatem ſermo adhibetur: orationem illam vanam, teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant. Nulla eſt igitur hæc amicitia, cùm alter verum audire nō vult, alter ad metuendum paratus eſt. Nec paraſitorum nobis aſſentatio in Comœdiis faceta commēdaretur, niſi eſſent milites glorioſi.

Aſſētator Semper enim auget aſſentator id quod is, cuius ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum. Quamobrem quanquam iſta blanda vanitas apud eos valeat, qui ipſi illam allectant, & inuitant: tamen etiam grauiores, conſtantioréſque admonendi ſunt, vt animaduertant, ne callida aſſentatione capiantur. Apertè enim adulantem nemo non videt, niſi qui admodum eſt excors.

Cauendus callidus & occultus adulator. Callidus ille, & occultus adulator, ne ſe inſinuet ſtudioſè cauendum eſt: nec enim faciliter agnoſcitur, quippe qui etiam aſſentando ſæpe aduerſetur, & litigare ſe ſimulans, blandiatur: atque ad extremum det manus, vincíque ſe patiatur: vt is qui illuſus ſit, plus viciſſe videatur. Quid autē turpius quàm illud? quod ne accidat, magis cauendum eſt.

Virtus cōciliat & conſeruat amicitias. Virtus & conciliat amicitias, & conſeruat. In ea eſt enim rerum, & morum conuenientia: in ea eſt ſtabilitas: in ea conſtantia: quæ cùm ſe extulit, & oſtendit ſuum lumen, & idem aſpexit, & agnouit in

alio, ad

alio, ad id ſe admouet, viciſsímque accipit illud, quod in altero eſt. Ex quo exardeſcit ſiue amor, ſiue amicitia. Vtrúmque enim ab amando dictum eſt. Amare enim nihil eſt aliud, niſi eum ipſum diligere, quem amas, nulla indigentia, nulla vtilitate quæſita. Hac nos adoleſcentes beniuolentia ſenes dileximus: hæc etiam magis elucet inter æquales.

Amare quid.

Sed quoniam res humanæ, fragiles, caducæque ſunt, ſemper aliqui acquirendi ſunt, verè quos diligamus, & à quibus diligamur. Charitate enim, beneuolentiáque ſublata, omnis eſt è vita ſublata iucunditas.

Semper aliqui acquirendi, quos diligamus.

Omnia breuia, tolerabilia eſſe debent, etiam ſi magna ſint.

Vos autem hortor, vt ita virtutem locetis: ſine qua amicitia eſſe nón poteſt, vt ea excepta, nihil amicitia præſtabilius eſſe putetis.

Nulla amicitia ſine virtute.

SENTENTIÆ EX LIBRO *de Senectute.*

NVnquã ſatis dignè laudari Philoſophia poterit: cui qui pareat, omne tempus ætatis ſuæ ſine moleſtia poſſit degere. Quibus enim nihil eſt in ipſis operis ad benè beatéque viuendum, his omnis ætas grauis eſt. Qui autem omnia bona à ſeipſis petũt, his nihil poteſt malum videri, quod naturæ neceſſitas afferat: quo in genere imprimis eſt ſenectus, quam vt adipiſcãtur omnes optant,

Philoſophia.

Quibus omnis ætas grauis eſſe ſolet.

eandem accuſant adeptam. Tanta eſt inconſtantia, ſtultitia, atque peruerſitas. Obrepere quidem eam aiunt, & citius quàm putauiſſent.

Pares cũ paribus. Pares cum paribus veteri prouerbio, facillimè congregantur.

Senes moderati. Moderati enim & non difficiles, nec inhumani ſenes, tolerabilem agunt ſenectutem. Importunitas autem, & inhumanitas omni ætati moleſta eſt.

Propter opes, & copiam, & dignitatem, tolerabiliorem ſenectutem videri aiunt nonnulli.

Neque enim in ſumma inopia leuis eſſe ſenectus poteſt, ne ſapienti quidem: nec inſipienti in ſumma quoque copia non grauis. *Aptiſſima arma ſenectutis.* Aptiſſima omnino ſunt arma ſenectutis, artes ſcilicet, exercitationéſque virtutum: quæ in omni ætate cultæ, cùm diu multúmque vixeris, mirificos afferunt fructus: non ſolùm quia nunquàm deſerunt, ne in extremo quidem ætatis tempore (quanquam id quidem maximũ eſt) verùm etiam quia conſcientia bené actæ vitæ multorúmque beneficiorum recordatio, iucundiſſima eſt.

Non ſunt omnes ſenes æquali memoria. Non omnes poſſunt eſſe Scipiones, aut Maximi, vt vrbium expugnationes, vt pedeſtres, naualeſué pugnas, vt bella à ſe geſta, triumphóſque recordentur. Eſt enim quietè, & purè, atque eleganter actæ ætatis placida ac lenis ſenectus: qualem accepimus *Platonis ſenectus.* Platonis, qui vno, & octogeſimo anno ſcribens, mortuus eſt. Qualem Iſocratis, qui eum librum, qui *Iſocratis ſenectus.* Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixítque quinquennium poſteà: cuius magiſter *Gorgias Leontinus* Leontinus Gorgias, centum & ſeptem compleuit annos, neque vnquã in ſtudio ſuo, atque opere ceſſauit. Qui cum ex eo quæreretur, cur tandiu vellet eſſe in vita, Nihil habeo, inquit, quòd

accuſem.

accuſem ſenectutem. Præclarum reſponſum, & docto homine dignum.

Sua enim vitia inſipientes, & culpam ſuam, in ſenectutem conferunt. Ennius iam annos ſeptuaginta natus, ita ferebat duo quæ putantur maxima onera, paupertatem, & ſenectutem, vt eis penè delectari videretur. Etenim cum complector animo, quatuor cauſſas reperio, cur ſenectus miſera videatur. Vnam, quod auocet à rebus gerendis: alteram, quod corpus faciat infirmum: tertiam, quòd priuet ferè omnibus voluptatibus: quartam, quòd haud procul abſit à morte.

Senes inſipientes.

Quatuor cauſſæ cur ſenectus miſera videtur.

A rebus gerendis ſenectus abſtrahit? A quibus? An his, quæ geruntur iuuentute, & viribus? Nullæ ne igitur res ſunt ſeniles, quæ vel infirmis corporibus, animo tamen adminiſtrentur?

A rebus gerendis ſenectus non abſtrahit.

Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda verſari ſenectutem negant: ſimileſque ſunt, vt ſi qui gubernatorem in nauigando nihil agere dicant, cùm alij malos ſcandant, alij per foros curſitent, alij ſentinam exhauriant: ille autem manu clauum tenens, ſedeat quietus in puppi, non faciat ea, quæ iuuenes. At verò multò maiora, & meliora facit. Non enim viribus, aut velocitate, aut celeritate corporum, res magnæ geruntur, ſed conſilio, autoritate, & ſententia: quibus non modò non orbari, ſed etiã augeri ſenectus ſolet.

Optima ſimilitudo ſenis & gubernatoris nauis.

Nam manet memoria ſenibus, modò permaneat ſtudium, & induſtria. Memoria enim minuitur, niſi eam exerceas.

Senũ memoria non minuitur.

Nemo eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet viuere poſſe: ſed iidem in eis elaborant, quæ ſciunt omnino nihil ad ſe pertinere: ſerunt arbores, quæ alteri ſeculo proſint, vt ait Statius noſter in Synephœbis.

Senum fiducia.

Ædepol ſenectus, ſi nihil aliud quicquam vitij

Senectutis vitium

apportet ſecum, cùm aduenerit: vnum id ſatis eſt, quòd diu viuendo, multa quæ non vult, videt.

Vt adoleſcentibus ſapientes ſenes delectantur, ita illi ſenum præceptis.

Vt enim adoleſcentibus bona indole prædictis ſapientes ſenes delectantur, leuiórque fit ſenectus eorũ, qui à iuuentute coluntur, & diliguntur: ſic adoleſcentes, ſenum præceptis gaudent, quibus iuuenes ad virtutum ſtudia ducuntur.

Solonem verſibus gloriantem vidimus, qui ſe quotidie aliquid addiſcentem, dicit ſenem fieri.

Senectutis vitium ſecundum.

Nec nunc quidem vires deſidero adoleſcentis (is enim locus erat alter de vitiis ſenectutis) non plus, quàm adoleſcens vires tauri, aut elephantis deſiderabam.

Quod enim homini naturaliter inſitum eſt, eo vti decet: & quicquid agas, agere pro viribus.

Libidinoſa, & intemperata adoleſcentia.

Nec vlli bonarum artium magiſtri non beati putandi, quanuis conſenuerint vires, atque defecerint: etſi iſta ipſa defectio virium, adoleſcentiæ vitiis efficitur ſæpius, quàm ſenectutis. Libidinoſa etenim, & intemperata adoleſcentia, effœtum corpus tradit ſenectuti.

Curſus certus ætatis.

Curſus eſt certus ætatis, & vna via naturæ, eáque ſimplex, ſuáque propria cuique parti tempeſtiuitas eſt data. Vt enim infirmitas puerorum, & ferocitas iuuenum, & grauitas iam conſtantis ætatis: ſic & ſenectutis maturitas, naturale quiddam habet, quod ſuo tempore percipi debeat.

Vires in ſenectute nõ poſtulãtur

Poteſt exercitatio, & temperantia, etiam in ſenectute conſeruare aliquid priſtini roboris. Non ſunt in ſenectute vires, nec poſtulantur quidem vires à ſenectute. Ergo & legibus ſcriptis, & inſtitutis vacat ætas ſenum, & muneribus his, quæ poſſunt ſine viribus ſuſtineri. Itaque non modò quod non poſſumus, ſed ne quantum poſſumus quidem cogimur. Atque ita multi

multi ſunt imbecilles ſenes, vt nullum officij, aut omnino vitæ munus exequi poſſint. At id quidem non eſt proprium vitium ſenectutis, ſed commune inualitudinis, & ſenectutis.

Quid mirum igitur in ſenibus, ſi infirmi ſint aliquando, cùm id nec adoleſcentes quidem effugere poſſint? Reſiſtendum ſenectuti eſt, eiúſque vitia diligentia compenſanda ſunt: pugnandum tanquam cōtra morbum: ſic contra ſenectutem, habenda eſt ratio valitudinis, exercitationibus vtendum modicis. Tantum cibi, & potionis adhibendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Nec verò corpori ſoli ſubueniendum eſt, ſed etiam menti, atque animo multò magis. Nam hæc quoque niſi tanquam lumini oleū inſtilles, extinguntur ſenectute: & corpora quidem defatigatione, & exercitatione ingraueſcunt: animi autem, ſe exercendo leuantur. *Reſiſtendum ſenectuti eſt.*

Senilis iſta ſtultitia, quæ deliratio appellari ſolet, ſenum leuium eſt, non aliorum. Nam quatuor filios robuſtos, & quinque filias, tantam domum, & tantas clientelas Appius regebat, & ſenex, & cæcus. Intentum enim animum tanquam arcum habebat: nec langueſcens ſuccumbebat ſenectuti. Tenebat non modò autoritatem, ſed etiam imperium in ſuos. Metuebant eum ſerui, reuerebantur liberi, charum omnes habebant. Vigebat in ea domo mos patrius, & diſciplina. *Senilis ſtultitia.*

Itaque ſenectus honeſta eſt, ſi ſeipſam defendit: ſi ius ſuum retinet: ſi nemini mancipata eſt: ſi vſque ad extremum ſpiritum, dominatur in ſuos. Vt enim adoleſcētem, in quo ſenile aliquid: ſic ſenem, in quo aliquid adoleſcentiæ ſit, probo: quod qui ſequetur, ſenex eſſe corpore poterit, animo nunquàm erit. *Quæ ſenectus honeſta.*

Hæ ſunt exercitationes ingenij, hæc mentis cur-

Exercitationes ſeneƈtutis. ricula: in his deſudans, atque laborans, corporis vires non magnopere deſiderat: neque intelligit benè, quando obrepat ſeneƈtus.

Tertia obiurgatio ſeneƈtutis. Seneƈtutem vituperant quidam (& hæc quidem tertia obiurgatio ſeneƈtutis) quòd eam carere dicunt voluptatibus. Sed, ô præclarum munus ætatis: ſiquidem id aufert nobis, quod eſt in adoleſcentia vitioſiſſimum. Archyta enim Tarentinus nullam capitaliorem peſtem, quàm voluptatem corporis hominibus dicebat à natura datam: cuius voluptatis, auidæ libidines temerè, & effrænatè ad potiundum incitarent. *Voluptas, peſtis capitalis.* Hinc patriæ proditiones, hinc rerum publicarũ euerſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci dicebat. Nullum denique ſcelus, nullum facinus magnum eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret. Stupra verò, & adulteria, & omne tale flagitium, nullis aliis illecebris incitari, niſi voluptatibus. Cúmque homini ſiue natura, ſiue quis deus, nihil mente præſtabilius dediſſet, huic diuino mũeri ac dono, nihil eſſe tam inimicum, quàm voluptatem. Neque enim libidine dominante, temperantiæ locum eſſe, nec omnino in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere. *In voluptatis regno, virtus conſiſtere non poteſt.* Quod quò magis intelligi poſſet, fingi animo iubebat tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima. Nemini cenſebat fore dubium, quin tandiu dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione cõſequi poſſet. Quocirca nihil eſſe tam deteſtabile, támque peſtiferum, quàm voluptatem: ſiquidem ea cum maior eſſet, atque longior, omne animi lumen extingueret.

Voluptas rationi inimica. Impedit enim conſilium voluptas, rationi inimica, ac mentis (vt ita dicam) perſtringit oculos: nec habet vllum cum virtute commercium.

Quorſum

Quorſum igitur tam multa de voluptate? Quia non modò vituperatio nulla: ſed etiam ſumma laus ſenectutis eſt, quòd ea voluptates nullas magnopere deſiderat, & caret epulis, extructiſque menſis, & frequentibus epulis. Caret ergo vinolentia, crudelitate, & inſomniis. *Non vituperāda ſenectus, q͂ voluptatibus careat: ſed laudāda potius.*

Quanquàm autem immoderatis careat epulis ſenectus, modicis tamen conuiuiis delectari poteſt. *Senectus modicis cō uiuiis delectatur.*

Neque ipſorum conuiuiorum delectationem, voluptatibus corporis magis, quàm cœtu amicorum & ſermonibus metiri debemus.

Si ſenectus verò habet aliquid tanquàm pabulum ſtudij, atque doctrinæ, nihil eſt ocioſa ſenectute iucundius. *Nihil ocioſà ſenectute iucundius.*

Quæ ſunt igitur epularum, aut ludorum, aut ſcortorum voluptates, cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem ſtudia ſunt doctrinæ, quæ prudentibus, & benè inſtitutis pariter cum ætate creſcunt: qua voluptate animi, nulla certè maior eſſe poteſt.

Voluptates agricolarum, quibus maximè delector, nulla impediuntur ſenectute, & mihi ad ſapientis vitam proximè videntur accedere: habent enim rationem cum terra, quæ nunquàm ſine vſura reddit, quod accepit: quanquàm me quidem non fructus modò, ſed etiam ipſius terræ vis, ac natura delectat. *Agricultura voluptates.*

Neque verò ſegetibus ſolùm, & pratis, & vinetis, & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt: ſed hortis etiam, & pomariis: tum pecudum paſtu, tum apum examinibus, & florum omnium varietate. *Ob quas res ruſticatio læta eſſe cōſueuit*

Agro nanque benè culto nihil poteſt nec vſu eſſe vberius, nec ſpecie ornatius, nec natura pulchrius: ad quem fruendum non modò non retardat, verum- *Nihil ornatius agro benè culto.*

Nulla vita beatior cultura agrorum.

etiam inuitat, atque oblectat ſenectus.

Mea quidem ſententia, haud ſcio an vlla vita poſſit eſſe beatior.

Neque ſolùm quidem officio, quòd hominum generi vniuerſo cultura agrorum eſt ſalutaris: ſed delectatione, & ſaturitate, copiáque rerum omnium, quæ ad victum hominum, & cultum etiam deorum pertinent.

Hac igitur fortuna ſenibus frui licet: nec ætas impedit, quo minus & cæterarum rerum ſtudia teneant vſque ad tempus vltimum ſenectutis.

Curius aurum repudiatus eſt.

Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiatus eſt. Non enim aurum habere præclarum dixit ſibi videri: ſed aurum habentibus imperare. Poterat ne tantus animus non iucundam efficere ſenectutem?

Extrema ætas reliquis beatior.

Extrema ætas hoc beatior eſt, quàm media, quòd autoritatis habeat plus, minuſuè laboris. Apex eſt autem ſenectutis autoritas.

Senectutis autoritas.

Habet præſertim ſenectus honorata, tantam autoritatem, vt ea pluris ſit, quàm omnes adoleſcentiæ voluptates.

Quæ ſenectus laudanda.

Sed in omni oratione mementote, me eam ſenectutem laudare, quæ fundamentis adoleſcentiæ conſtituta ſit. Ex quo illud efficitur, miſeram eſſe ſenectutem, quæ ſe oratione defendit. Non cani, non rugæ, repente autoritatem eripere poſſunt: ſed honeſtè acta ſuperior ætas, fructus capit autoritatis extremos. Hæc enim ipſa ſunt honorabilia, quæ videntur leuia, atque cõmunia: ſcilicet ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli. Quæ & apud nos, & in aliis ciuitatibus, vt quæque res optimè morata eſt, ita diligentiſſimè obſeruatur.

Offenſio odioſa.

In fragili corpore, odioſa omnis offenſio eſt.

Vt enim

Vt enim non omne vinum: ſic non omnis ætas naturæ vetuſtate coaceſcit.

Auaritia ſenilis, quid ſibi velit non intelligo. Poteſt enim quicquam eſſe abſurdius, quàm quò minus viæ reſtat, eò plus viatici quærere? *Auaritia ſenilis.*

Quarta reſtat cauſſa, quæ maximè augere, atque ſollicitam habere noſtram ætatem videtur, appropinquatio mortis, quæ à ſenectute non poteſt longè abeſſe. O miſerum ſenem, qui mortem contemnendam eſſe, in tam longa ætate non viderit! Quæ planè negligenda eſt, ſi extinguit omnino animum: aut etiã optanda magis, ſi aliquò eum deducit, vbi ſit futurus æternus. Atqui tertium certè nihil inueniri poteſt. Quid igitur timeam, ſi aut non miſer poſt mortem, aut beatus etiam futurus ſim? *Quarta obiurgatio ſenectutis.*

Quanquam quis eſt tam ſtultus, tam ſui fidens, quanuis adoleſcens, cui ſit exploratum, ſe ad veſperum eſſe victurum? Quinetiam ætas illa multò plures, quàm noſtra mortis caſus habet: facilius in morbos incidunt adoleſcentes, grauius ægrotant, triſtius curantur. Itaque perpauci veniunt ad ſenectutem: quod niſi ita accideret, melius, & prudentius viuerent. Mens enim & ratio, & conſilium in ſenibus eſt. *Nemo ſcit ſi vel ad veſperum victur⁹ ſit*

Omni inquit Scipio ætati mortem eſſe communem. At ſperat adoleſcens diu ſe eſſe victurum, quod ſperare idem ſenex non poteſt, inſipienter ſperat. Quid enim eſt ſtultius, quam incerta pro certis habere, ac falſa pro veris? At ſenex, ne quidem habet quod ſperet? At eſt eò meliore conditione, quàm adoleſcẽs, cùm id quod ille ſperat, hic ſit conſecutus, Ille vult diu viuere, hic diu vixit. quamquam, ô dij boni, quid eſt in vita hominis diu? *Mors communis omni ætati.*

Mihi quidem nec diuturnum quicquam videtur,

Diuturnũ nihil, in quo eſt aliquid extremum.

in quo eſt aliquid extremum: cum enim id aduenerit, tunc illud quod præteriit effluxit: tantum remanet, quantum virtute, & benefactis conſecutus ſis. Horæ quidem cedunt, & dies, & menſes, & anni: nec præteritum tempus vnquam reuertitur: nec quid ſequatur ſciri poteſt. Quod cuique temporis ad viuendum datur, eo debet eſſe contentus.

Breue tempus ætatis, ſufficere ad benè honeſtéque viuẽdum.

Breue enim tempus ætatis, ſatis longum eſt ad benè, honeſtéque viuendum. Sin proceſſeris longius, non magis dolendum eſt, quàm agricolæ dolent, præterita verni temporis ſuauitate, æſtatem, autumnúmque veniſſe. Ver enim tanquam adoleſcentiam ſignificat, oſtẽditque fructus futuros. Reliqua autem tempora demetendis fructibus, & percipiendis accommodata ſunt.

Fructus ſenectutis.

Fructus autem ſenectutis, eſt partorum bonorum copia, & memoria. Omnia verò quæ ſecundum naturam fiunt, ſunt habenda in bonis. Quid eſt autem tam ſecundum naturam, quam ſenibus emori? Quod idem contingit adoleſcentibus aduerſante, ac repugnante natura.

Adoleſcẽtium mors qualis.

Itaque adoleſcentes mori ſic mihi videntur, vt cùm aquæ multitudine, flammæ vis opprimitur: ſenes autem ſicut cùm ſua ſponte, nulla vi adhibita, conſumptus ignis extinguitur. Et quaſi poma ex arboribus, cruda ſi ſint, vi auelluntur: ſi matura, & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas. Quæ mihi quidem tam iucunda eſt, vt quò propius ad mortem accedam, quaſi terram videre videar: & aliquandò in portum ex longa nauigatione venturus.

Nullus certus ſenectutis terminus.

Senectutis autem nullus certus eſt terminus: rectéque in ea viuitur, quoad munus officij exequi poſſis, & tueri, & tamen mortem contemnere. Ex quo fit,

quo fit, vt animoſior etiam ſit ſenectus, quàm adoleſcentia,& fortior.

Sed viuendi eſt finis optimus, cùm integra mente, cæteriſque ſenſibus, opus ſuum ipſa eadem, quæ conglutinauit natura, diſſoluit: vt nauem vt ædificium facillimè idem deſtruit, qui conſtruxit: ſic hominem, eadē optimè, quæ compoſuit natura diſſoluit. Nam omnis conglutinatio recens ægrè, inueterata facillimè diſſoluitur. Ita fit vt facilè illud breue vitæ reliquum nec auidè appetendum ſenibus, nec ſine cauſſa deſerendum ſit. Vitatque Pythagoras iniuſſu imperatoris, hoc eſt, dei, de præſidio & ſtatione vitæ decedere. *Viuendi finis optim⁹* *Pythagoræ dictum*

Solonis quidem ſapientis elogium eſt, quo ſe negat velle ſuam mortem dolore amicorum, lamentiſque vacare. Sed haud ſcio, an melius Ennius: *Solonis elogium.*

Nemo me lachrymis decoret, nec funera fletu, Faxit.

Non cenſet lugendam eſſe mortem, quam immortalitas conſequatur.

Hoc præmeditatum ab adoleſcentia debet eſſe, mortem vt negligamus: ſine qua meditatione, tranquillo eſſe animo, nemo poteſt. Moriendum enim certum eſt, & incertum an eo ipſo die. Mortem igitur horis ſingulis impendentem metuens, quis poterit animo ſecuro conſiſtere? *Mors negligenda.*

Dum ſumus incluſi in his compagibus corporis, munere quodam neceſſitatis, & graui opere perfungimur. Eſt enim cæleſtis animus ex altiſſimo domicilio depreſſus, & quaſi demerſus in terram: obtinens diuinæ naturæ locum, æternitati cōtrarium. Sed credo deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana, vt eſſent qui terras tuerentur, quique cæleſtiū ordinem contemplantes, imitarentur eum, vitæ modo, atque conſtantia. Nec me ſolùm ratio impulit, vt *Corporis compago animum deprimit, ne fungatur ſuo munere.*

ita crederem: ſed diſputatio etiam, & autoritas veterum, & nobilium Philoſophorum. Et imprimis Pythagoræ, qui ex vniuerſa mente diuina delibatos nos animos habere demonſtrauit. Præterea Socratis, qui ſupremo vitæ die, de immortalitate animorum diſſeruit. Quid multa? Sic perſuaſi mihi, ſic ſentio, cùm tanta celeritas ſit animorum, tanta memoria præteritorum, futurorúmque prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inuenta, non poſſe eam naturam, quæ res tantas contineret, eſſe mortalem.

Animi ex mente diuina delibati.

Platonis morientis dictum.

Plato etiam noſter apud Xenophontem, moriens hæc dixit: Nolite arbitrari, ô mihi chariſſimi filij, cùm à vobis diſceſſero, me nuſquam, aut nullum fore. Nec enim dum eram vobiſcum eum videbatis animum, qui hos artus regebat: ſed eſſe eum in hoc corpore ex his rebus, quas gerebam, intelligebatis: eum igitur eſſe creditote, etiam ſi nullum videbitis.

Animum immortalem eſſe.

Mihi quidem perſuaderi nunquam poterat, animos, dum in corporibus eſſent mortalibus, viuere: cùm exiſſent ex eis, mori. Nec verò tum animum eſſe inſipientem, cùm ex inſipienti corpore euaſiſſet: ſed cùm omni admixtione corporis liberatus, purus, & integer eſſe cœpiſſet, tunc eſſe ſapiētem. Atque etiam cùm natura hominis, morte diſſoluitur, cæterarum rerum perſpicium eſt noſſe, quò quæque diſcedant. Abeunt enim illuc omnia, vnde orta ſunt. Animus autem ſolus, nec cùm adeſt, nec cùm diſcedit, apparet.

Animus ſolus inuiſibilis.

Somnus morti ſimilis.

Iam verò videtis, nihil eſſe morti tam ſimile, quàm ſomnum: atque dormientium animi maximè declarant diuinitatem ſuam. Ex quo intelligitur facilè, quales futuri ſint, cùm ſe planè vinculis corporum relaxauerint.

Non enim multi præſtantes viri, quos enumerare non

re non eſt neceſſe, tanta eſſent conati, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent, niſi iudicaſſent animos immortales poſt defunctum corpus exiſtere. *Præſtantium virorũ opinio.*

Nonne melius multò fuiſſet, ocioſam ætatem, & quietam, ſine labore maximo, & contentione traducere?

Quod quidem niſi ita ſe haberet, vt animi immortales eſſent, non optimi cuiuſque animus maximè ad immortalitatis gloriam niteretur. Quid quod ſapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo? Nonne videtur vobis, is qui plus cernit, & longius videt, noſſe ſe ad meliora proficiſci: ille autem, cui mens obtuſior, non videre? *Omnia ab optimo quoque fieri, ob immortalitatis gloriã.*

Non licet enim mihi deplorare vitam, quod multi, & ij docti, ſæpe fecerũt: neque me vixiſſe pœnitet: quoniam ita vixi, vt non fruſtra me natum exiſtimem. Et è vita iſta diſcedo, tanquam ex hoſpitio, nõ tanquam ex domo: commorandi enim natura diuerſorium nobis, non hoſpitandi dedit. O præclarum diem, cùm ad illud diuinorum animorum cõcilium, cœtúmque proficiſcar. *Proborum virorum mors non deplorãda*

Et ſi quis deus mihi largiatur, vt hac ætate repueraſcam: nec verò velim quaſi decurſo ſpatio, à calce iterum reuocari. Quid enim habet vita commodi? Quid non potius laboris? *Vita hominũ omnis laboris plena.*

Leuis eſt ſenectus: nec ſolùm non moleſta, ſed etiam iucunda. Quod ſi non ſumus immortales futuri: tamen extingui homini ſuo tempore optabile eſt. Nam habet natura, vt aliarum omnium rerum, ſic viuendi modum. Senectus autem ætatis eſt peractio tanquam fabulæ: cuius defatigationem fugere debemus, præſertim adiuncta ſocietate. *Senectus ætatis eſt peractio.*

Et hæc de ſenectute, ad quam vtinã perueniamus, vt ea quæ dicta ſunt, re experti probare poſſimus.

Omnia ſplendeſcere oratione.

NIHIL eſt tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile. Nihil tam horridum, nihil tam incultum, quod non ſplendeſcat oratione.

Res fortunæ in bonis numerandas nõ eſſe

Nunquam herculè ego neque pecunias: neque tecta magnifica, neque opes, neque imperia, neque voluptates, in bonis rebus, aut expetendis, eſſe duxi.

Poteſt ne bonum cuiquam malo eſſe: aut poteſt quiſquam in abundantia bonorum, ipſe eſſe non bonus?

Irrideat ſi quis vult: plus tamen apud me vera ratio valebit, quàm vulgi opinio. Neque ego vnquam dicam illum bona perdidiſſe, ſi quis pecus, aut ſupellectilem amiſerit. Nec non ſæpe laudabo illum ſapientem Biantem, cuius cùm patriam Prienen cepiſſet hoſtis, cæterique ita fugerent, vt multa de ſuis rebus ſecum aſportarẽt, cùm eſſet admonitus à quodam, vt ipſe idem faceret. Ego verò, inquit, facio: nam omnia mea mecum porto. Ille hæc ludibria fortunæ, ne ſua quidem putauit, quæ nos etiam appellamus bona.

Biantis dictum.

Bonum quid.

Quid eſt igitur, quæret aliquis, bonum? Si quid rectè fit, & honeſtè, & cum virtute, id ſolum opinor bonum.

Epicureorũ opinio.

Illud arctè quidam tenent, accuratéque defendunt, voluptatem eſſe ſummum bonum. Quæ quidẽ mihi

mihi vox, pecudum videtur eſſe, non hominum. Tu cùm tibi ſiue deus, ſiue mater (vt ita dicam) omnium rerum natura dederit animum, quo nihil eſt præſtantius, neque diuinius: ſic te ipſe, abiicies, atque proſternes, vt nihil inter te, & quadrupedem putes intereſſe? Vt enim quiſque maximè eſt boni particeps, ita & laudabilis maximè. Neque enim eſt vllum bonum, de quo, is qui id habeat, honeſtè non poſſit gloriari. Quidnam horum eſt in voluptate? Meliorem ne efficit, aut laudabiliorem virum? An quiſquam in potiundis voluptatibus gloriando prædicatione ſe efferet? Atque ſi voluptas, quæ plurimorum patrociniis defenditur, modò in rebus bonis habenda non eſt, eáque quò maior eſt, eò magis mentem ex ſua ſede, & ſtatu dimouet: profectò nihil eſt aliud, benè & beatè viuere, niſi honeſtè, & rectè viuere. *Voluptas in bonis nō habenda.*

Nemo poteſt non beatiſſimus eſſe, qui eſt aptus totus ex ſeſe: quique in ſe vno ſua ponit omnia: cui autem ſpes omnis & ratio, & cogitatio pédet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi, nihílque quod exploratum habeat permanſurum ſibi, ne vnum quidem diem. *Beatus quis.*

Mors terribilis his, quorum cum vita omnia extinguntur: non his, quorum emori laus non poteſt. Exilium autem terribile his, quibus quaſi circunſcriptus eſt habitandi locus: non his, qui omnem orbem terrarum, vnam vrbem eſſe dicunt. *Mors quibus terribilis.*

Vt improbo, & ſtulto, & inerti nemini benè eſſe poteſt: ſic bonus vir, & ſapiens, & fortis, miſer eſſe non poteſt. *Bonus vir miſer eſſe non poteſt.*

Quicquid eſt laudabile, idem & beatum, florens, & expetendum videri debet. *Laudabile*

Nec enim peccata rerum euentu, ſed vitiis hominum metienda ſunt. *Peccata.*

Error impiorum. Quæ vis eſt enim, quæ magis arceat homines ab omni improbitate, quàm ſi ſenſerint nullum eſſe in delictis diſcrimen?

Modus rerum fingi non poteſt. Modum rerum fingere non poſſumus, animorum modum tenere poſſumus.

Nihil neque meum eſt, neque cuiuſpiam, quod auferri, quod eripi, quod amitti poteſt.

Qui ſuis cupiditatibus imperare non poteſt, ne alius imperabit. Quomodo igitur, & cui tandem hic libero imperabit, qui non poteſt ſuis cupiditatibus imperare? Refrænet primùm libidines, ſpernat voluptates, iracundiam teneat, coerceat auaritiam, & cæteras animi labes repellat: Tum incipiet aliis imperare, cum ipſe improbiſſimis dominis dedecori, aut turpitudini parere deſierit. Dum quidem iis obediet, non modò imperator, ſed liber omnino habendus non erit.

Liber nemo, niſi ſapiens. Libertas. Dictum ab eruditiſſimis, niſi ſapientem liberum eſſe neminem. Quid eſt enim libertas, niſi poteſtas viuendi vt velis? Quis igitur viuit vt vult, niſi qui recta ſequitur? qui gaudet officiis: cui viuendi via conſiderata, atque prouiſa eſt? qui legibus quidem non propter metum paret, ſed eas ſequitur, atque colit id quod ſalutare maximè iudicat eſſe? qui nihil facit, nihil dicit, nihil cogitat denique, niſi libenter ac liberè? cuius omnia conſilia, reſque omnes quas gerit, ab ipſo proficiſcuntur, eodemque feruntur? Nec eſt vlla res, quæ plus apud eum polleat, quàm ipſius voluntas, atque iudicium. Cui quidem etiam (quæ vim habere maximam dicitur) fortuna ipſa cedit, ſicut ſapiens poëta dixit.

Sapientis proprium. Suis ea cuique fingitur moribus.

Omnes improbos eſſe ſeruos. Soli igitur hoc contingit ſapienti, vt nihil faciat inuitus, nihil dolens, nihil coactus.

Vnde illud breui confitendum eſt, Niſi qui ita ſit affectus, eſſe liberum neminem. Serui igitur improbi.

omnes: nec hoc tam re eſt, quam dictu inopinatum atque mirabile. Non enim ita dicunt eos eſſe ſeruos vt mancipia, quæ ſunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili: ſed ſi ſeruitus ſit (ſicut eſt) obedientia fracti animi atque abiecti, & arbitrio carentis ſuo: quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos, eſſe ſeruos?

An ille mihi liber videtur, cui mulier imperat? cui leges imponit, præſcribit, iubet, vetat quod videtur? qui nihil imperanti negare poteſt, nihil recuſare audet: Poſcit, dandum eſt: vocat, veniendum: eiicit, abeundum: minatur, extimeſcendum. Ego verò non iſtum modò ſeruum, ſed nequiſſimum ſeruum, etiam ſi in ampliſſima familia natus ſit, appellandum puto. *Ille liber non eſt, cui mulier imperat.*

An etiam eorum ſeruitus dubia eſt, qui peculij cupiditate, nullam conditionem recuſant duriſſimæ ſeruitutis? Hæreditatis ſpes, quid iniquitatis in ſeruiẽdo non ſuſcipit? Quem nutum locupletis orbi ſenis non obſeruat? Loquitur ad eius voluntatem: quicquid denunciatum ſit, facit, aſſentatur, aſſidet, miratur. Quid horum eſt liberi? quid denique non ſerui inertis? Quid iam illa cupiditas (quæ videtur eſſe liberalior) honoris, imperij, prouinciarum? quàm dura eſt domina, quàm imperioſa, quàm vehemens? *Eorũ ſeruitutẽ dubiam non eſſe, qui cõmodi cupiditate nullam recuſant cõditionẽ ſeruitutis.*

Iudex verò, quantum habet dominatum? Quo timore nocentes afficit? An non eſt omnis metus ſeruitus? Omnis animi debilitas, & humilis, & fracti timiditas, ſeruitus eſt. *Iudex liber nõ eſt.*

Nihil quiſquam debet, niſi quod eſt turpe, non reddere.

Quem enim intelligimus diuitem? aut hoc verbum, in quo homine ponimus? Opinor in eo, cui tanta poſſeſſio eſt, vt ad liberaliter viuendum facilè contentus ſit, qui nihil quærat, nihil appetat, nihil *Diues quis intelligendus.*

optet amplius. Animus enim tuus oportet ſe iudicet diuitem, non hominum ſermo, nõ poſſeſſiones tuæ.

Pecuniæ auidus diues nõ cenſendus. Qui nihil ſibi deeſſe putat, nihil curat amplius, ſatiatus eſt, aut contentus etiam pecuniã: concedo, diues eſt. Sin autem propter auiditatem pecuniæ, nullum quæſtum turpem putas, cùm iſti ordini, ne honeſtus quidem poſſit eſſe vllus: ſi quotidie fraudas, decipis, poſcis, paciſceris, aufers, eripis: ſi ſocios ſpolias, ærarium expilas, ſi teſtamenta amicorum expectas, aut ne expectas quidem, at ipſe ſupponis: hæc vtrum abundantis, an egentis ſigna ſunt?

Animus diues non arca. Animus hominis diues, non arca appellari ſolet. Quanuis illa ſit plena, dum te inanem videbo, diuitẽ non putabo. Etenim ex eo quantum tum cuique ſatis eſt, metiuntur homines diuitiarum modum. Filiam quis habet? pecunia opus eſt. Duas? maiore. Plures? maiore etiam. Si (vt aiunt Danai) quinquaginta ſunt filiæ, tot dotes magnam quærunt pecuniam. Quantum enim cuique opus eſt, ad id accommodatur (vt ante dixi) diuitiarum modus. Qui igitur non filias plures, ſed innumerabiles cupiditates habet, quæ breui tempore maximas copias exhaurire poſſint, hunc quomodo ego appellabo diuitem, cùm ipſe egere ſe ſentiat?

Diuitiarũ fructus in copia. Eſt enim diuitiarum fructus in copia. Copiam autem declarat ſatietas rerum, atque abundantia. Quis igitur (ſi quidem vt quiſque quod plurimi ſit poſſideat, ita ditiſſimus habendus ſit) dubitet, quin in virtute diuitiæ ſint? Quoniam nulla poſſeſſio, nulla vis auri, & argenti, pluris quàm virtus, æſtimãda eſt. O dij immortales, non intelligunt homines, quàm magnum vectigal ſit parſimonia!

Vter igitur eſt ditior, cui deeſt, an cui ſuperat? qui eget, an qui abundat? cuius poſſeſſio quò eſt maior, eò plus

eò plus requirit ad ſe tuendam: an quæ ſuis ſe viribus ſuſtinet?

Non æſtimatione cenſus, verùm victu, atque cultu, terminatur pecuniæ modus. Non eſſe cupidum pecuniæ, non eſſe emacem, vectigal eſt: contentum verò ſuis rebus eſſe, maximæ ſunt, certiſſimæque diuitiæ. Etenim ſi iſti callidi rerum æſtimatores, prata, & areas quaſdam magno æſtimant, quòd ei generi poſſeſſionum minimè quaſi noceri poteſt: quanti eſt æſtimanda virtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt vnquam: nec naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtatum nec temporum permutatione mutatur? Qua præditi qui ſunt, ſoli ſunt diuites. Soli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas: ſolíque (quod eſt proprium diuitiarum) contenti ſunt rebus ſuis: ſatis eſſe putant, quod eſt: nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt.

Pecuniæ modus victu atque cultu terminatur.

Virtus quanti æſtimāda.

Virtute præditi ſoli diuites.

Improbi autem, & auari, quoniam incertas, atque in caſu poſitas poſſeſſiones habent, & plus ſemper appetunt, nec eorum quiſque adhuc inuentus eſt, cui quod haberet, eſſet ſatis: non modò non copioſi, ac diuites, ſed etiam inopes, ac pauperes æſtimandi ſunt.

Improbi & auari, inopes ac pauperes æſtimandi

SENTENTIÆ, EX SOMNIO *Scipionis.*

Certus ac definitus locus in cœlo ijs, qui patriã conſeruauerint.

SED quò ſis Africane alacrior ad tutandam Rempublicam, ſic habeto, Omnibus qui patriam conſeruauerint, adiuuerint, auxerint, certum eſſe in cœlo, ac definitũ locum, vbi beati æuo ſempiterno fruantur. Nihil eſt enim illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat, acceptius, quàm concilia, cœtúſque hominum iure ſociati, quæ ciuitates appellantur.

Qui viuere dicãtur.

Imò verò ij viuunt, qui ex corporum vinculis, tanquam è carcere, euolauerunt. Veſtra verò quæ dicitur vita, mors eſt.

Niſi enim deus is, cuius hoc templum eſt omne, quod conſpicis, iſtis te corporis cuſtodiis liberauerit, huc tibi aditus patêre non poteſt. Homines enim ſunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quæ terra dicitur. Híſque animus datus eſt ex illis ſempiternis ignibus, quæ ſydera, & ſtellas vocatis: quæ globoſæ, & rotundæ diuinis animatæ mentibus, circulos ſuos orbéſque conficiunt, celeritate mirabili. Quare & tibi Publi, & pijs omnibus retinendus eſt animus in cuſtodia corporis: nec iniuſſu eius, à quo ille eſt vobis datus, ex hominum vita migrandum eſt, ne munus humanum aſſignatum à deo defugiſſe videamini.

Homines hac legẽ generati, vt cœlum contueantur.

Animus vnde.

Iuſtitiam cole, & pietatem: quæ cùm ſit magna

in

in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima eſt. Quia ea vita, via eſt in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui iam vixerunt, & corpore laxati, illum incolunt locum, quem vides, quem vos (vt à Græcis accepiſtis) Orbem lacteum nuncupatis. *Pietas in patriam.*

Cœleſtia ſemper ſpectato, humana contemnito. Tu enim quam celebritatem ſermonis hominum, aut quam expetendam gloriam cõſequi potes? Quin etiam ſi cupiat proles illá futurorum hominum, deinceps laudes vniuſcuiuſque noſtrum à patribus acceptas poſteris prodere: tamen propter eluuiones, exuſtionéſque terrarum, quas accidere tempore certo neceſſe eſt, non modò non æternam, ſed ne diuturnam quidem gloriam aſſequi poſſumus. Quid autem intereſt ab iis, qui poſtea naſcentur, ſermonem fore de te: cùm ab iis nullus fuerit, qui antè nati ſunt? Qui nec pauciores, & certè meliores fuerunt viri: cùm præſertim apud eos ipſos, à quibus nomen noſtrum poteſt audiri, nemo vnius anni memoriam conſequi poſſit. *Cœleſtia ſpectanda, humana contemnenda.* *Inanis gloria contemnenda.*

Quocirca, ſi reditum in hũc locum deſperaueris, in quo omnia ſunt magnis, & præſtantibus viris: quanti tandem eſt iſta hominum gloria, quæ pertinere vix, ad vnius anni partem exiguam poteſt? Igitur altè ſpectare ſi voles, atque hanc ſedem, & æternam domum contueri, neque ſermonibus vulgi dederis te, nec in præmiis humanis ſpem poſueris rerũ tuarum: ſuis te illecebris oportet ipſa virtus trahat ad verum decus. *Hominum gloriam nihil eſſe ad æternam.*

Sermo autem omnis ille, & anguſtiis cingitur iis regionum, quas vides, nec vnquam de vllo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & obliuione poſteritatis extinguitur. *Celebritas nominis, obruitur hominum interitu.*

Tu verò ad veram gloriam enitere: & ſic habeto,

Ad veram gloriam ſolùm enitē dum. te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. Nec enim tu is es, quem forma iſta declarat: ſed mens cuiuſque, is eſt quiſque, non ea figura, quæ digito monſtrari poteſt. Deum te igitur ſcito eſſe: ſiquidem deus eſt, qui *Dei deſcriptio.* viget, qui ſentit, qui meminit, qui præuidet, qui tam regit, & moderatur, & mouet hoc corpus, cui præpoſitus eſt, quàm hunc mundum princeps ille deus. Et vt ipſe mundum, ex quadam parte mortalem ipſe deus æternus, ſic fragile corpus animus ſempiternus *Animam æternā eſſe à motu.* mouet. Nam quod ſemper mouetur, æternum eſt: quod autem motum affert alicui, quódque ipſum agitur aliunde, quando finem habet motus, viuendi finē habeat neceſſe eſt. Solùm igitur, quod ſeſe mouet, quia nunquam deſeritur à ſe, nunquam ne moueri quidem deſinit. Quinetiam cæteris, quæ mouen- *Ex principio omnia oriuntur.* tur, hic fons, hoc principium eſt mouendi. Principio autem nulla eſt origo: nam ex principio oriuntur omnia, ipſum autem nulla ex re fieri poteſt: nec enim id eſſet principium, quod gigneretur aliunde. Quod ſi nunquàm oritur, nec occidit quidem vnquam. Nam principiū extinctum, nec ipſum ab alio renaſcetur, nec ex ſe aliud creabit: ſiquidem neceſſe eſt à principio omnia oriri. Ita fit, vt motus principium ex eo ſit, quod ipſum à ſe mouetur: id autem nec naſci poteſt, nec mori: vel concidat omne cœlū, omniſque natura conſiſtat neceſſe eſt, nec vim vllam nanciſcatur, qua primo impulſu moueatur.

Natura propria animæ, atq; vis. Cùm pateat igitur æternum id eſſe, quod à ſe ipſo moueatur, quis eſt hic, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Inanimatum eſt enim omne, quod impulſu agitatur externo. Quod autem anima eſt, id motu cietur interiore & ſuo. Nam hæc eſt natura propria animæ, atq; vis. Quæ ſi eſt vna ex omnibus, quæ ſeſe moueat: neque nata eſt certè, & æterna eſt.

Nam eorum animi, qui ſe corporis voluptatibus dediderunt, earúmque ſe quaſi miniſtros præbuerũt, impulſúque libidinum voluptatibus obedientium, deorum & hominum iura violauerunt, corporibus elapſi circum terram ipſam volutantur, nec in hunc locum, niſi multis exagitati ſeculis, reuertuntur. *Pythagoreorũ opnio de improborum animis.*

SENTENTIÆ EX LIBRO PRImo *Tuſculanarum Quæſtionum.*

FACILE eſt vincere non repugnantes.

Honos alit artes: omnéſque incendimur ad ſtudia, gloriâ. Iacéntque ea ſemper, quæ apud quoſque improbantur. *Honos alit artes.*

Fieri poteſt, vt quis benè ſentiat, & id quod ſentit, politè eloqui non poſſit. Mandare autem cuiquam literis cogitationes ſuas, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio, & literis. *Eloquẽtia minus polita.*

Moriendum eſt omnibus.

Quæ enim poteſt nobis in vita eſſe iucunditas, cùm dies & noctes cogitandum ſit iamiam eſſe moriendum? *Nulla iucunditas vbi de morte cogitatur.*

Antiquitas quò propius aberat ab ortu, & diuina progenie: hôc melius ea fortaſſe, quæ erant vera, cernebat. *Antiquitas.*

Nulla gens tam fera, nemo hominum tam im-

Dei notitia. manis, cuius mentem non imbuerit deorum opinio. Multi de Diis praua ſentiunt, id enim vitioſo more effici ſolet. Omnes tamen eſſe vim, & naturam diuinam arbitrantur. Nec verò id collocutio hominum, aut conſenſus efficit: non inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. *Lex natura.* Omni autem in re, conſenſus omnium gentium, lex naturæ putanda eſt.

Nihil præſtantius ijs qui alios iuuant. Quæ eſt melior in hominum genere natura, quã eorum, qui ſe natos ad homines iuuandos, tutandos, conſeruandos, arbitrantur? Abiit ad deos Hercules: nunquam abiiſſet, niſi cùm inter homines eſſet, eam ſibi viam muniuiſſet.

Spes immortalitatis. Nemo vnquam ſine magna ſpe immortalitatis, ſe offerret pro pátria ad mortem.

Mentis reuocatio à ſenſibus. Magni autem eſt ingenij, reuocare mentem à ſenſibus, & cogitationem à conſuetudine abducere.

Quam quiſque norit artem, in ea ſe exerceat.

Nihil animo velocius. Nihil animo eſt velocius, nulla eſt celeritas, quæ poſſit, cum animi celeritate contendere: qui ſi permanet incorruptus, ſuíque ſimilis, neceſſe eſt ita feratur, vt penetret, & diuidat omne cœlum.

Philoſophiæ vis. A quo quidem animo philoſophia, tanquam ab oculis caliginem diſpulit: vt omnia ſupera, infera, prima, media, vltima videremus. Prorſus hæc diuina mihi videtur vis, quæ tot res efficiat, & tantas.

Deus quomodo à nobis intelligitur. Nec verò deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam & libera, ſegregata ab omni concretione mortali.

Socratis opinio de animarum immortalitate. Socrates cùm penè in manu iam mortiferum illud teneret poculum, locutus ita eſt, vt nõ ad mortem trudi, verùm in cœlum videretur aſcendere: ita enim cenſebat. Itaque diſſeruit duas eſſe vias, duplicesque curſus animorum è corpore excedentium. Nam qui ſe humanis flagitiis, atque vitiis contami-

naſſent,

naſſent, & ſe totos libidinibus dediſſent: vel in Republica violanda fraudes inexpiabiles concepiſſent, his demum quoddam iter eſſe ſecluſum à concilio deorum. Qui autem ſe integros, caſtóſque ſeruauiſſent, quibúſque fuiſſet minima cum corporibus contagio ſeſéque ſemper ab his ſeuocaſſent, eſſéntque in corporibus humanis vitam imitati deorum, iis ad illos, à quibus eſſent profecti, reditum facilem patere.

Cato autem ſic abiit è vita, vt cauſa moriendi natum ſe eſſe gauderet. *Cato.*

Tota enim Philoſophorum vita, commentatio mortis eſt. Nam quid aliud agimus, cùm à voluptate, id eſt, à corpore: cùm à re familiari, quæ eſt miniſtra, & famula corporis: cùm à Republica: cùm à negotio omni ſeuocamus animum: niſi animum ad ſeipſum aduocamus: ſecum eſſe cogimus: maximéque à corpore ſeducimus? Secernere autem à corpore animũ, nec quicquam eſt aliud, niſi emori diſcere. Quare hoc commentemur, diſiungamúſque nos à corporibus, id eſt, conſueſcamus mori: hoc & dum erimus in terris, erit illi cœleſti vitæ ſimile: & cùm illuc, ex his vinculis emiſſi, feremur, minus tardabitur curſus animorũ. Quò cùm venerimus, tum denique viuemus. Nam hæc quidem vita, mors eſt: quam lamentari poſſem, ſi liberet. *Tota philoſophorũ vita, mortis commentatio.* *Vita noſtra, mors.*

Tanta charitas eſt patriæ, vt eam non ſenſu noſtro, ſed ſalute ipſius metiamur. Itaque non deterret ſapientem mors, quæ propter incertos caſus quotidie imminet: propter breuitatem vitæ, nunquam poteſt longè abeſſe, quò minus in omne tempus Reipublicæ, ſuíſque conſulat, & poſteritatem ipſam, cuius ſenſum habiturus non ſit, ad ſe putet pertinere. *Charitas patriæ.*

Natura ſic habet, vt quomodò initium nobis omnium rerum ortus noſter afferat, ſic exitũ mors. *Humana conditio.*

Et vt nihil pertinuit ad nos ante ortum: ſic nihil poſt mortem ad nos pertinebit.

Nulla ætas longa. Quæ verò ætas longa eſt? aut quid omnino homini longum? Nonne modò pueros, modò adoleſcentes, in curſu à tergo inſequens, nec opinantes aſſecuta eſt ſenectus? Sed quia nihil vltra habemus, hoc longum dicimus. Omnia iſta perinde vt cuique data ſunt, pro rata parte, aut vita longa, aut breui adducuntur.

Quantum mors deſideranda. Si expectando, & deſiderando pendemus animis & cruciamur, & angimur, proh dij immortales, quã optabiliter illud iter iucundum eſſe debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla ſollicitudo ſit futura!

Nihil enim cuiquam bono mali quicquam euenire poteſt, nec viuo, nec mortuo: nec vnquam eius res à diis immortalibus negligentur.

Nullũ malum à natura datũ hominibus Nos autem teneamus, vt nihil cenſeamus eſſe malum, quod ſit à natura datum omnibus: intelligamúſque ſi mors malum ſit, eſſe malum ſempiternũ. Nam vitæ miſeræ mors finis eſſe videtur. Mors ſi eſt miſera, finis nullus eſſe poteſt.

Mortui nõ carent bonis gloriæ. Quanquam ſenſus abierit, tamẽ ſummis, & propriis bonis laudis & gloriæ, quanuis non ſentiant mortui, non carebunt.

Non enim tam cumulus bonorum iucundus eſſe poteſt, quàm moleſta diſceſſio.

Mors optãda, non timenda. Homines mortem vel optare incipiant, vel timere deſiſtant: Nam ſi ſummus ille dies non extinctionem, ſed commutationẽ affert loci, quid optabilius? Sin autem perimit, & delet omnino, quid melius, quàm in mediis vitæ laboribus obdormiſcere, & ita conuenienter ſomno conſopiri ſempiterno? Quod ſi fiat, melior eſt Ennij, quàm Solonis oratio. Hic enim noſter:

noſter: Nemo me lachrymis decoret, inquit, nec funera fletu,

Faxit. At verò ille Sapiens:

Mors mea ne careat lachrymis: linquamus amicis
Mœrorem, vt celebrent funera cum gemitu.

Nos verò, ſi quid tale acciderit, vt à deo denunciatum videatur, vt exeamus è vita læti, & agentes gratias pareamus, eripíque nos è cuſtodia, & leuari vinculis arbitremur: vt aut in æternam, & planè in noſtram domum remigremus: aut omni ſenſu, moleſtiáque careamus. Sin aùtem nihil denunciabitur, eo tamen ſimus animo, vt illum horribilem diem aliis, nobis fauſtum putemus: nihílque in malis ducamus, quod ſit vel à diis immortalibus, vel à natura parente omnium conſtitutum. Non enim temerè, ac fortuitu facti, & creati ſumus. *Iocundè moriendũ.*

Portum itaque nobis paratum, & perfugium putemus: quô vtinam vel panſis velis prouehi liceat. Sin reflantibus ventis reijciemur, tamen eodem paulò tardius referamur, neceſſe eſt. Quod autem omnibus neceſſe eſt, id ne miſerum vni eſſe poteſt? Agamus ea potiſſimum, quæ leuationem habeant ægritudinum, formidinum, cupiditatum: qui in omni philoſophia eſt fructus vberrimus. *Mors non miſera, ſed portus omniũ miſeriarum.*

Ex libro ſecundo.

Difficile eſt enim in Philoſophia, pauca eſſe ei nota, cui non ſint aut pleráque, aut omnia. Nam nec pauca, niſi è multis eligi poſſunt: nec qui pauca perceperit, non idem reliqua eodem ſtudio perſequetur. *Difficile eſt philoſophum aliquid ignorare.*

Qui id, quod vitari non poteſt, metuit, is viuere animo quieto nullo modo poteſt. Sed qui non modò quia neceſſe eſt mori, verumetiam quia nihil habet *Mortem timẽs tran*

quillè viue re non poteſt. mors, quod ſit horrendum, mortem non timet, is ſibi præſidium ad beatam vitam comparat.

Effectus eloquentiæ, eſt audientium approbatio.

Philoſophia. Efficit hoc Philoſophia: ſcilicet medetur animis, inanes ſollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores.

Fortes enim non modò fortuna adiuuat, vt eſt in veteri prouerbio, ſed multò magis ratio: quæ quibuſdam quaſi præceptis, confirmat vim fortitudinis.

Elegans ſimilitudo agri & animi. Nam vt ager, quanuis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt: ſic ſine doctrina animus. Cultura autem animi philoſophia eſt. Hæc extrahit vitia radicitus & præparat animos ad ſata ſuſcipienda, eáque mundat, & (vt ita dicam) ſerit, quæ adulta fructus vberrimos ferant.

Firmandus eſt animus ad dolorem ferendum.

Prudẽtia. Sine prudentia nec intelligi quidem vlla virtus, nedum eſſe poteſt.

Temperantia. Temperantia non ſinet te quicquam immoderatè facere.

Cõſuetudo laborum. Conſuetudo enim laborum, perpeſſionem dolorum efficit faciliorem. Nam ferre laborem, contemnere vulnus, cõſuetudo docet. Conſuetudinis etenim magna vis eſt.

Qui benè inſtituti ſunt, accipere plagam malunt, quàm turpiter vitare.

Virtus vnde appellata. Appellata eſt à viro virtus. Viri autem proprium, maximè eſt fortitudo, cuius munera ſunt maxima duo, ſcilicet mortis, doloríſque cõtemptio. Vtendum eſt igitur his, ſi virtutis compotes, vel potius ſi viri volumus eſſe: quoniam à viris virtus nomen eſt mutuata.

Natura quid maximè appetat. Nihil habet natura præſtantius, nihil quod magis expetat, quàm honeſtum, quàm laudem, quàm dignitatem,

dignitatem, quàm decus.

Nos, ſi pes condoluit, ſi dens, ſi tactum dolore corpus, ferre nõ poſſumus: opinio eſt quædam effœminata, ac leuis: nec in dolore magis, quàm eadem in voluptate. Hoc enim maximè in dolore eſt prouidendum, ne quid abiectè, ne quid timidè, ne quid ignauè, ne quid ſeruiliter, muliebritérque faciamus. *Opinio effœminata.*

Ingemiſcere nonnunquam viro conceſſum eſt, idque raro: eiulatio ne mulieri quidem. Nec verò vnquam ingemiſcit vir fortis, ac ſapiens, niſi fortè vt incendat ſe ad firmitatem, vt in ſtadio curſores exclamãt quàm maximè poſſunt: faciunt idem cùm exercentur athletæ: pugiles verò etiam cum feriunt aduerſarium, ingemiſcunt: non quòd doleãt animo ne ſuccumbant, ſed quia profunda voce omne corpus incenditur, venítque plaga vehementior. Cùm autem nihil imminuat doloris gemitus, cur fruſtra turpes eſſe volumus? Quid etiam eſt fletu muliebri, viro turpius? *Ingemiſcere aliquando conceſſum, ſed non eiulare.*

Sæpe enim multi, qui aut propter victoriæ cupiditatem, aut propter gloriam, aut etiam vt ius ſuum, & libertatem tuerentur, vulnera exceperunt, fortiter & tulerunt. Iidem omiſſa contẽtione, dolorem morbi ferre non poſſunt: neque enim illum, quem facilè tulerunt, ratione aut ſapientia tulerunt, ſed ſtudio potius, & gloria. *Quorũdã puſillanimitas.*

Si omnia fugiendæ turpitudinis, adipiſcendæque honeſtatis faciemus cauſſa: non modò ſtimulos doloris, ſed etiam fulmina fortunæ contemnimus.

Ex libro tertio.

Sunt enim ingeniis noſtris ſemina innata virtutum, quæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vi- *Semina virtutum*

ingenijs noſtris innata. tam natura perduceret. Nunc autem ſimul atque æditi in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuò prauitate, & in ſumma opinionum peruerſitate verſamur: vt penè cum lacte nutricis errorem ſuxiſſe videamur. Cùm verò parentibus redditi, vel magiſtris, traditi ſumus: tum ita variis imbuimur erroribus, vt vanitati veritas, & opinioni confirmatæ natura ipſa cedat.

Animus æger. Animus æger (vt ait Ennius) ſemper errat: neque pati, neque perpeti poteſt: cupere nunquam deſinit: cuius profectò medicina eſt Philoſophia.

Animi ſanitas. Non autem omnes qui curari paſſi ſe ſunt, continuò etiam conualeſcunt, animi autem qui ſe ſanari voluerint, præceptiſque paruerint ſapientum, ſine vlla dubitatione ſanentur.

Et niſi ſanatus ſit animus (quod ſine Philoſophia fieri non poteſt) finis miſeriarum nullus eſt.

Munus animi. Munus animi, eſt ratione benè vti: & ſapientis animus, ita ſemper affectus eſt, vt ratione optimè vtatur.

Videntur enim omnia repentina grauiora, ex quo & illa iure laudantur.

Præmeditatio futurorum. Præmeditatio futurorum malorum, lenit eorum aduentum, quæ venientia longè antè videris.

Anaxagoræ elogiũ. Anaxagoram ferunt nunciata morte filij, dixiſſe: Sciebam me genuiſſe mortalem. Quæ vox declarat his eſſe hæc acerba, quibus non fuerãt cogitata. Ergo id quidem non dubium, quin omnia, quæ mala putantur, ſunt improuiſa grauiora.

Prouiſio animi ad minuendũ dolorẽ multũ poteſt. Multum itaque poteſt prouiſio animi, & præparatio ad minuendum dolorem. Nihil enim eſt quod tam obtundat, leuétque ægritudinem, quàm perpetua in omni vita cogitatio, nihil eſſe quod accidere non poſſit: quàm meditatio conditionis humanæ: quàm

quàm vitæ lex, commentatióque parendi. Neque enim qui rerum naturam, qui vitæ varietatem, qui imbecillitatem humani generis cogitat, mœret cùm hoc cogitat: ſed facilius fert cum accidit, quod poſſe accidere diu cogitauerit: quæ cogitatio vna maximè moleſtias omnes extenuat & diluit.

Quid eſt nequius, aut turpius effœminato viro?

Hoſtium repentinus aduentus, magis aliquando conturbat, quàm expectatus: & maris ſubita tempeſtas, quàm antè prouiſa terret nauigantes vehementius: & huiuſmodi ſunt pleráque. Sic cum diligenter, nec opinatorum naturam conſideras, nihil aliud reperies, niſi omnia videri ſubita maiora. *Hoſtiũ repẽtinus aduentus magis conturbat.*

Senſim enim, & pedetentim progrediens extenuatur dolor: non quòd ipſa res immutari ſoleat, aut poſſit, ſed id quod ratio debuerat, vſus docet minora eſſe, quæ ſunt viſa maiora. *Dolor ſenſim extenuatur.*

Tolerabilius feret incommodum, qui cognouerit homini neceſſe eſſe quid accidere.

Ea enim lege nati ſumus, vt nemo in perpetuum eſſe poſſit expers mali. Nam mortalis nemo eſt, quẽ non attingat dolor, morbúſque. *Qua lege nati ſum?*

Acta ætas honeſtè, ac ſplendidè, tantam affert conſolationem, vt eos qui ita vixerint, aut non attingat ægritudo, aut perleniter pungat animi dolor.

Pueros matres, & magiſtri etiam caſtigare ſolent, nec verbis ſolùm, ſed etiam verberibus: ſi quid in domeſtico luctu hilarius ab iis factum eſt, aut dictum, plorare cogunt. *Caſtigatio.*

Theophraſtus moriens accuſaſſe naturam dicitur, quòd ceruis, & cornicibus vitam diuturnam, quorum id nihil intereſſet: hominibus, quorum maximè interfuiſſet, tam exiguam vitam dediſſet: quorũ ſi ætas eſſe potuiſſet longinquior, futurum fuiſſe, vt *Theophraſtus.*

omnibus perfectis artibus, omníque doctrina, hominum vita erudiretur: querebatur igitur, ſe, tunc cùm illa videre cœpiſſet, extingui.

Nullũ nos plus amare debere, quàm noſmetipſos. Præclarum illud eſt, & ſi quæris rectum quoque, & verum, vt eos, qui nobis chariſſimi eſſe debeant, æquè ac noſmetipſos amemus. At verò plus fieri nullo pacto poteſt, nec optandum quidem eſt in amicitia, vt me ille plus quàm ſe, & ego illum plus quàm me. Perturbatio enim vitæ ſi ita ſit, atque officiorum vtique omnium conſequetur.

Eſt enim proprium ſtultitiæ, aliorum vitia cernere, obliuiſci ſuorum.

Conſolãtiũ officium. Hæc officia ſunt conſolantium, tollere ægritudinem funditus, aut ſedare, aut detrahere quâm plurimum, aut ſupprimere: nec pati manare longius, aut ad alia traducere.

Sumendum tempus eſt non minus in animorum morbis, quàm corporis.

Præclarum arduum. Quid autem præclarum, quod idem non ſit arduum?

Ex libro quarto.

Vt bona naturâ appetimus: ſic à malis naturâ declinamus.

Intemperantia omnium perturbationum fons. Omnium perturbationum fontem eſſe dicunt intemperantiam: quæ eſt à tota mente, & à recta ratione defectio. Nam quemadmodum ſedat appetitiones recta temperantia, & efficit vt hæ rectæ rationi pareant, conſeruátque conſiderata iudicia mentis: ſic huic inimica intemperantia, omnem animi ſtatum inflammat, conturbat, incitat. Itaque & ægritudines, & metus, & reliquæ perturbationes omnes, gignuntur ex ea.

Omnibus

Omnibus enim quibus mens abhorret à ratione. ſemper aliquis terror impendet.

Homo frugi, omnia rectè facit.

Quid enim videtur ei magnum humanis in rebus, cui æternitas omnis, totiúſque mundi nota ſit magnitudo? Nam quid aut in ſtudiis humanis, aut in tam exigua breuitate vitæ, magnum ſapienti videri poteſt: qui ſemper animo ſic excubat, vt ei nihil improuiſum accidere poſſit, nihil inopinatum, nihil omnino nouum? Atque idem ita acerrimam in omnes partes aciem intendit, vt ſemper videat ſedem ſibi, ac locum ſine moleſtia atque angore viuendi, vt quemcunque caſum fortuna inuexerit, hunc aptè, & quietè ferat? Quod qui faciet, non ægritudine ſolùm vacabit, ſed etiã perturbationibus omnibus reliquis. His autem vacuus animus, perfectè, atque abſolutè beatos efficit: idémque concitatus, & abſtractus ab integra certáque ratione, non conſtantiam ſolùm amittit, verùm etiam ſanitatem. *Nihil ſapienti humanis in rebus videri poteſt magnum, inopinatũ, aut nouũ.*

Impunitas peccatorum data videtur eis, qui ignominiam, & infamiam ferunt ſine dolore. Morderi eſt enim melius ex conſcientia.

In omnibus ferè rebus, mediocritatem eſſe optimam exiſtimant.

Neque eſt enim vlla fortitudo, quæ rationis eſt expers. Contemnendæ ſunt humanæ iniuriæ, negligenda mors eſt, patibiles & dolores, & labores putandi. Hæc cùm conſtituta ſunt iudicio, atque ſententia, tum eſt robuſta illa, & ſtabilis fortitudo. Vtile eſt enim vti motu animi, qui vti ratione non poteſt. *Nulla fortitudo rationis expers.*

Non enim ſuſcipere ipſi ægritudines propter alios debemus: ſed alios, ſi poſſumus, leuare ægritudine.

Adhibita ratio, cernit quid optimum ſit: neglecta, multis implicat erroribus. *Ratio adhibita.*

Eſt autem vtilis ad perſuadendum ea, quæ acciderint ferri, & poſſe, & oportere, enumeratio eorum, qui tulerunt.

Geſtiẽs lætitia turpis. Sint ſanè iſta bona quæ putantur, honores, diuitiæ, voluptates, & cætera: tamen in eis ipſis potiendis exultans, geſtiénſque lætitia turpis eſt: vt ſi ridere cõceſſum ſit, vituperetur tamẽ cachinnatio. Eodẽ enim vitio eſt effuſio animi in lætitia, quo in dolore contractio: eadémque leuitate cupiditas eſt in appetẽdo, qua lætitia in fruendo. Et vt nimis afflicti moleſtia, ſic nimis elati lætitia, iure iudicantur leues.

Et turpes ſunt, qui ſe efferunt lætitia tunc cum fruuntur venereis voluptatibus: ſic flagitioſi, qui eas inflammato animo concupiſcunt.

Ex libro quinto.

Correctio vitiorum à Philoſophia petenda. Omnium vitiorum, peccatorúmque noſtrorum omnis à Philoſophia petenda correctio eſt: cuius in ſinum cùm à primis temporibus ætatis noſtræ volũtas, ſtudiúmque impuliſſet, his grauiſſimis caſibus in eundem portum, ex quo eramus egreſſi, magna iactati tempeſtate cõfugimus. O vitæ philoſophia dux! O virtutis indagatrix, expultríxque vitiorum! Quid non modò nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu vrbes peperiſti. Tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ conuocaſti. Tu eos inter ſe primò domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum & vocum communione iunxiſti. Tu inuentrix legum. Tu magiſtra morum, & diſciplinæ fuiſti. Ad te confugimus. A te opem petimus. Tibi nos vt anteà magna ex parte, ſic nunc penitus, totóſque tradimus. Eſt autem vnus dies benè, & ex præceptis tuis actus, penè toti immortalitati anteponendus. Cuius igitur

opibus

opibus potius vtamur, quàm tuis: quæ & vitæ tranquillitatem largita nobis es, & terrorem mortis ſuſtuliſti?

Caue enim ne putes vllam in Philoſophia vocem emiſſam clariorem, vllumúe eſſe philoſophiæ promiſſum vberius, aut maius, quàm hæc vox eſt: virtutem ſatis poſſe ad beatè viuendum. *Virtutē ſatis poſſe ad beatè viuēdum.*

Motus turbulenti, iactationéſque animorum incitatæ, & impetu inconſiderato elatæ, rationem omnem repellentes, vitæ beatæ nullam partem relinquunt. Quis enim poteſt, mortem aut dolorem metuens, quorum alterum ſæpe adeſt, alterum ſemper impendet, eſſe non miſer? *Motus turbulenti.*

Quid ſi idem (quod plerunque fit) paupertatem, ignominiam, infamiam timet: ſi debilitatem, cæcitatem: ſi denique, quod non ſingulis hominibus, ſed potentioribus populis ſæpe contingit, ſeruitutem: poteſt ea timens eſſe quiſquam beatus? Quid? Qui non modò ea futura timet, verumetiam fert, ſuſtinetque præſentia, exilia, luctus, orbitates: qui rebus his fractus, ægritudine etiam eliditur: poteſt tandem eſſe non miſerrimus? Quid verò illum, quem libidinibus inflammatum, & furentem videmus: omnia rapidè appetentem cum inexplebili cupiditate, & quò affluentius voluptates vndique hauriat, eò grauius, ardentiúſque ſitientem? Nonne rectè miſerrimum dixeris? Quid elatus ille leuitate, inaníque lætitia exultās, & temerè geſtiens? Nonne tantò miſerior, quantò ſibi videtur beatior? Ergo vt hi miſeri, ſic contrà illi beati, quos nulli metus terrent, nullæ ægritudines exedunt, nullæ libidines incitant, nullæ futiles lætitiæ exultantes languidis liquefaciunt voluptatibus. *Nemo poteſt eſſe beatus, qui paupertatem, ignominiā, infamiam, & huiuſmodi timet.*

Quod ſi eſt, qui vim fortunæ, qui omnia humana quæcunque accidere poſſunt, tolerabilia ducat, ex *Vim fortunæ patien-*

per ſufferēs beatus. quo nec timor eum, nec angor attingat: idémque ſi nihil concupiſcat, ſi nulla efferatur animi inani voluptate: quid eſt cur is beatus non ſit? Et ſi hæc virtute efficiuntur: quid eſt cur virtus ipſa per ſe non efficiat beatos?

Neque enim finem vnquam inueniet libido.

Acutè diſputantis proprium. Acutè diſputantis illud eſt, non quod quiſque dicat, ſed quod cuique dicendum ſit, videre.

Omnibus enim virtutibus inſtructos, & ornatos, tum ſapientes, tum viros bonos dicimus.

Non ex ſingulis vocibus philoſophi ſpectandi ſunt, ſed ex perpetuitate, atque conſtantia. Rem enim opinor ſpectari, non verba.

Cui ratio optimè viuendi comparata eſt. Nam cui viro ex ſeipſo apta ſunt omnia, quæ ad beatè viuendum ferunt, huic optimè viuendi ratio comparata eſt.

Neque enim lætabitur vnquam, nec mœrebit nimis, qui ſemper in ſeipſo omnem ſpem reponet ſui.

Humanus animus è mente diuina decerptus. Humanus animus decerptus eſt è mente diuina: cum alio nullo, niſi cum ipſo deo (ſi fas eſt dici) comparari poteſt. Hic igitur ſi eſt excultus, & ſi eius acies accurata eſt, vt neque cæcetur erroribus, fit perfecta mens, id eſt, abſoluta ratio, quæ eſt idem quod virtus.

Beatum quid propriè. Etſi omne beatum eſt, cui nihil deeſt, & quod in ſuo genere expletum, atque cumulatum eſt, idque virtutis eſt proprium: certè omnes virtutis compotes, beati ſunt.

Quid enim deeſt ad benè, beatéque viuendum ei, qui confidit ſuis bonis? Aut qui diffidit, beatus eſſe quis poteſt?

Beati viri deſcriptio. Volumus enim eum, qui beatus ſit, tutum eſſe, inexpugnabilem, ſeptúmque, atque munitum: non vt paruo metu præditus ſit, ſed vt nullo.

Non ſunt bona dicenda, nec habenda, quibus a-

bundantem licet eſſe miſerrimum. An dubitas quin præſtans valetudine, viribus, forma, acerrimis integerrimiſque ſenſibus: adde etiam, ſi libet, pernicitaté, & velocitatem: da diuitias, honores, imperia, opes, gloriam: ſi fuerit is, qui hæc habet, iniuſtus, intemperans, timidus, hebeti ingenio, atque nullo: dubitabis ne tu eum miſerrimum dicere?

Sic princeps ille Philoſophiæ diſſerebat, Qualis cuiuſque animi affectus eſſet, talem eſſe hominem: qualis autem homo ipſe eſſet, talem eſſe eius rationem: Rationi autem ſimillima facta, factis vitam. Affectus autem animi in bono viro laudabilis, & vita igitur boni viri laudabilis, & honeſta ergo, quoniam laudabilis. Ex quibus bonorum beatam vitam eſſe concluditur. *Qualis animi affectus, talis homo eſſe conſueuit.*

Vir temperans, & conſtans, ſine metu, ſine ægritudine, ſine alacritate vlla, ſine libidine, nonne beatus?

Beata vita laudabilis, nec quicquam ſine virtute laudabile: beata igitur vita virtute conficitur. *Beata vita.*

Etenim vt ſtultitia, etſi adepta eſt quod concupiuit, nunquam ſe tamen ſatis conſecutam putat: ſic ſapientia ſemper eo contenta eſt, quod adeſt, neque eam vnquam ſui pœnitet. *Stultitiæ & ſapientiæ diſcrimen.*

Sic ſe res habet, te tua, me delectant mea.

Nunquam naturam mos vincit: eſt enim ea ſemper inuicta.

Sapientis eſt enim proprium, nihil quod pœnitere poſſit facere, nihil inuitum: ſplendidè, conſtanter, grauiter, honeſtè omnia. Nihil ita ſpectare, quaſi certò futurum: nihil cùm acciderit, admirari vt inopinatum, aut nouum accidiſſe videatur: omnia ad ſuum arbitrium referre, ſuiſque ſtare iudiciis: quo quid ſit beatius, mihi certè in mentem venire non poteſt. *Sapientis proprium.*

Ne mente quidem rectè vti poſſumus, multo cibo, & potione repleti: nec vnquam mihi placuit, bis in die ſaturum fieri.

Quomodò igitur iucunda vita eſſe poteſt, à qua abſit prudentia, abſit moderatio?

Paupertatis laus.

Dies deficiet, ſi velim paupertatis cauſſam defendere: aperta enim res eſt, & quotidie nos ipſa natura admonet, quàm paruis rebus egeat, quamúe vilibus. Num igitur ignobilitas, aut humilitas, aut etiam popularis offenſio, ſapientem beatum eſſe prohibebit? Vide, ne plus commendatio in vulgus, & hæc, quæ expetitur, gloria, moleſtiæ habeat, quàm voluptatis.

An non tibicines ij, qui fidibus vtuntur, ſuo non multitudinis arbitrio, cantus, numeróſque moderantur? Vir ſapiens, multò maiore autoritate præditus, non quid veriſſimum ſit, ſed quid velit vulgus, exquiret?

Iniurias fortunæ, quas ferre nequeas, diffugiendo relinquas.

SENTENTIÆ EX LIBRIS *veteris Rhetoricæ.*

Ex prologo libri primi.

Sapientia ſine eloquentia parum prodeſt ciuitatibus.

ME DIV quidem cogitantem ratio ipſa in hanc potiſſimum ſententiam duxit, vt exiſtimem ſapientiam ſine eloquentia parum prodeſſe ciuitatibus, eloquentiam verò ſine ſapientia, nimium obeſſe plerúque. Quare ſi quis

ſi quis omiſſis rectiſſimis, atque honeſtiſſimis ſtudiis rationis, & officij, conſumit omnem operam in exercitatione dicendi, is inutilis ſibi, pernicioſus patriæ ciuis alitur. Qui verò ita ſe armat eloquentia, vt non oppugnare commoda patriæ, verùm propugnare poſſit: is mihi vir & ſuis, & publicis rationibus vtiliſſimus, atque amiciſſimus ciuis fore videtur.

Fuit quoddam tempus cùm in agris homines paſſim, beſtiarum more vagabantur, & ſibi victu ferino vitam propagabant, nec ratione animi quicquã ſed pleraque viribus corporis adminiſtrabant: nondum diuinæ religionis, non humani officij ratio colebatur. Nemo nuptias viderat legitimas, non certos quiſquam aſpexerat liberos. Nemo ius æquabile quid vtilitatis haberet, acceperat. Ita propter errorem, atque inſcitiam, cæca ac temeraria dominatrix animi cupiditas, ad ſe explendam viribus corporeis abutebatur, quaſi pernicioſiſſimis ſatellitibus. *Antiquitatis error & inſcitia*

Quo tempore quidam magnus vir, & ſapiens cognouit, quæ materia eſſet, & quanta ad maximas res oportunitas in animis eſſet hominũ, ſi quis eam poſſet elicere, & præcipiendo meliorem reddere. Qui diſperſos homines in agris, & in tectis ſylueſtribus abditos, ratione quadam compulit & vnum in locum congregauit. Et eos in vnamquamque partem inducens vtilem, atque honeſtam: primò propter inſolentiam reclamantes, deinde propter rationem, atque orationem ſtudioſius audientes, ex feris & immanibus mites reddidit, & manſuetos. At mihi quidem hoc non tacita videtur, nec inops dicendi ſapientia perficere potuiſſe, vt homines à conſuetudine ſubitò conuerteret, & ad diuerſas rationes vitæ traduceret. *Eloquẽtia redditi homines mites & mãſueti.*

Age verò vrbibus conſtitutis, vt fidem colere, & iuſtitiam retinere diſcerent, & aliis ſua voluntate *Fidei et iuſtitiæ cul-*

tus, atque obedientia ex eloquētia. parêre conſueſcerent: ac non modò labores excipiédos communis commodi cauſſa, ſed etiam vitam amittendam exiſtimarent: qui tandem fieri potuit, niſi homines ea quæ ratione inueniſſent, eloquentia perſuadere potuiſſent? Profectò nemo, niſi graui ac ſuaui commotus oratione, cùm viribus plurimum poſſet, ad ius voluiſſet ſine vi deſcendere, vt inter quos poſſet excellere, cum iis ſe pateretur æquari: & ſua voluntate à iucundiſſima conſuetudine recederet, quæ præſertim iam naturæ vim obtineret propter vetuſtatem. Ac primò quidem ſic & nata, & progreſſa longius eloquentia videtur: & item poſteà maximis in rebus & pacis, & belli, cum ſummis hominum vtilitatibus eſt verſata. Poſtquàm verò commoditas quædam parua, virtutis imitatrix, ſine ratione officij, dicendi copiam ſecuta eſt: tum ingenio freta malitia, peruertere vrbes, & vitas hominum labefactare conſueuit.

Quò indignius rem honeſtiſſimam, & rectiſſimá violat ſtultorum, & improborum temeritas, & audacia: ſummo cum Reipublicæ detrimento: eò ſtudioſius & illis reſiſtendum eſt, & Reipublicæ conſulendum.

Eloquētiæ quare ſtudendum. Eloquentiæ ſtudendum eſt, etſi ea quidem & priuatim, & publicè abutuntur peruerſè: ſed eò quidem vehementius, ne mali magno cum detrimento bonorum, & communi omnium pernicie plurimum poſſint: cùm præſertim hoc ſit vnum, quod ad omnes res & priuatas, & publicas maximè pertineat: hoc tuta, hoc honeſta, hoc illuſtris, hoc eodem vita iucunda fiat. Nam hinc ad Rempublicam plurima commoda veniunt, ſi moderatrix omnium rerum præſto eſt ſapientia. Hinc ad ipſos, qui eam adepti ſunt, laus, honos, dignitas confluit. Hinc amicis quo-

que

que eorum certiſſimum, ac tutiſſimum præſidium comparatur. Ac mihi quidem vidétur homines, cùm multis rebus humiliores, & infirmiores ſint, hac re maximè beſtiis præſtare, quòd eloqui poſſunt. Quare præclarum mihi quiddam videtur adeptus is, qui qua re homines beſtiis præſtant, ea in re hominibus ipſis antecellat.

Ex libro primo.

Nam ab alienatis ſi perſpicuè pax, & beniuolentia petitur, non modò ea non inuenitur, ſed augetur, atque inflammatur odium.

Non minus rerum non neceſſariarum, quam verborum multitudine ſupercedendum eſt. Nam ſæpe parum eſt res intellecta, longitudine magis, quàm obſcuritate narrationis. At quoque verbis dulcibus vtendum eſt.

Genus eſt omnium libidinum cupiditas: eius autem generis ſine dubio pars eſt auaritia. *Cupiditas*

Sæpe oportet commetiri negotium cum tempore, & videre ſi potuerit ne aut magnitudo negotij, aut multitudo rerum in eo tranſigi tempore. *Tempus metiendũ.*

Nam ſi iis, qui imprudenter læſerunt, ignoſci conuenit: his, qui neceſſariò profuerunt, haberi gratiam non oportet?

Nemo eſt, qui non liberos ſuos incolumes, & beatos eſſe cupiat. *Liberi amandi.*

Taciturnitas imitatur confeſſionem.

Melius accurantur, quæ conſilio reguntur, quàm quæ ſine conſilio adminiſtrantur. *Conſilium.*

Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus eſt inſtructior, & apparatior rebus, quàm ea, quæ temerè, & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui præ- *Ratione debent regi omnia.*

poſitus eſt ſapiens, & callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur:quàm is, qui ſtultitia, & temeritate alicuius adminiſtratur. Eadem nauigij eſt ratio. Nam nauis optimè curſum conficit, ea quæ ſcientiſſimo gubernatore vtitur. Nam & ſignorum ortus, & obitus, definitũ quendam ordinem ſeruant: & annuæ commutationes non modò quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt, verùm ad vtilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatæ: & diurnæ, nocturnæque viciſſitudines nulla in re vnquam mutatæ, quicquam nocuerunt: quæ ſigno ſunt omnia, non mediocri conſilio naturam mundi adminiſtrari. Conſilio igitur mundus adminiſtratur.

Conſilio mundus adminiſtratur.

Si oportet velle ſapere, dare operam philoſophiæ conuenit.

Si ſummopere ſapientia petenda eſt, ſummopere ſtultitia vitanda eſt.

Iudicis officium.

Omnes leges, Iudices ad commodum Reipublicæ referre oportet, & eas ex vtilitate communi, non ex ſcriptione, quæ in literis eſt, interpretari. Ea enim virtute, & ſapientia, maiores noſtri fuerunt, vt in legibus ſcribendis nihil aliud ſibi niſi ſalutem, & vtilitatem Reipublicæ proponerent. Neque enim ipſi quod obeſſet, ſcribere ſolebant: & ſi ſcripſiſſent, cum eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebãt. Nemo enim leges legum cauſſa ſaluas eſſe vult, ſed Reipublicæ: quia & legibus omnem Rempublicam optimè putant adminiſtrari.

Legibus parendum

Quam ob rem leges igitur ſeruari oportet, ad eam cauſſam ſcripta omnia interpretari cõuenit, hoc eſt, quoniam Reipublicæ ſeruimus, ex Reipublicæ cõmodo, atque vtilitate leges interpretemur. Nam vt ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis vtilitatem ſpectet, quoniam eius cauſſa

inſtituta eſt: ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod Reipublicæ conducat, proficiſci: quoniam eius cauſſa ſunt comparatæ.

Ergo vos quoque iudices, definite legis literas perſcrutari: & legem, vt æquum eſt, & vtilitaté Reipublicæ conſiderate. Nam iudices, qui ex lege iurati iudicatis, obtemperare legibus oportet: obtemperare autem legibus non poteſtis, niſi id quod ſcriptum eſt in lege, ſequamini. Quod enim certius legis ſcriptor teſtimonium volũtatis ſuæ relinquere potuit, quam quod ipſe magna cum cura, atque diligentia ſcripſit? Quod ſi literæ non extarent, magnopere eas requireremus, vt ex his ſcriptoris voluntas cognoſceretur. *Exhortatio ad iudices.*

Qui ſæpenumero nos per fidem fefellerunt, eorũ orâtioni fidem non habere debemus. Si quid perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit præter noſmetipſos, qué iure accuſare poſſimus. Ac primò quidem decipi, incommodum eſt: iterum, ſtultè: tertiò, turpe. Summa igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis. *Fidefragi, & perfidi.*

Nemo eſt, qui non pecuniam, quàm ſapientiam malit.

Nemo poteſt vno aſpectu, neque præteriens in amorem incidere.

Stultitia eſt immenſæ gloriæ cupiditas.

Nihil eſt crudelius, quàm vrbes diruere. Qui virtutem habet, is nullius rei ad benè viuendum indiget. *Crudelitas.*

Mulierum genus eſt auarum.

Malum eſt maximum auaritia: multos magnis incommodis afficit pecuniæ cupiditas. *Auaritia*

Maximum bonum eſt amicitia: plurimæ enim delectationes ſunt in amicitia.

Sæpe virtus & magnificentia, in quo grauitas & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam com- *Virtus & magnificẽtia.*

mouendam, quàm humilitas, & obſecratio.
Lachryma nihil citius areſcit.

Ex libro ſecundo.

Non enim parum cognoſcere, ſed in parum cognito, ſtultè & diu perſeueraſſe, turpe eſt. Propterea quòd alterum communi hominum infirmitati, alterum ſingulari cuiuſque vitio eſt attributum.

In iudiciis quid æquum ſit, quæritur.

Opinio. Opinio dupliciter fallit homines, cùm aut res alio modo eſt, quàm putatur: aut ſi non is euentus eſt, quem arbitrati ſunt.

Multæ ſuſpiciones. Ex victu multæ trahuntur ſuſpiciones: cùm quemadmodum, & apud quos, & à quibus educatus, & eruditus ſit, quæritur, & quibus cum viuat, qua ratione vitæ, quo more domeſtico viuat.

Affectionis ratio. Nam affectionis quidem ratio, perſpicuam ſolet præ ſe gerere coniecturam, vt amor, iracundia, moleſtia: propterea quod & ipſorum vis intelligitur: & quæ res harum aliquam rem conſequentur, faciles cognitu ſunt.

Suſpicionibus credi non oportet: contrà, ſuſpicionibus credi oportet.

Naturæ quidem ius eſſe videtur, quòd nobis non opinio, ſed innata quædam vis afferat, vt religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſeruantiam, veritatem.

Gloria ex bello parta virtute Eam enim ex bello gloriam virtute peperimus, vt eius æterna inſignia poſteris noſtris relinquere velimus: attamen æternum inimicitiarum monimentum ſtatuere non oportet.

Quomodo facta cōijcienda ſūt. Nullum factum inutile, neque turpe, neque vtile, neque honeſtum putari oportet, niſi quo animo, quo tempore

tempore, qua de cauſſa factum ſit intelligatur.

Nam beneficij magnitudo ex vtilitate, atque honeſtate, aut facti neceſſitudine demonſtratur.

Non oportet ante ſupplicium, quàm iudicium interponere.

Si hoc conſtitutum ſit, vt peccata homines peccatis, & iniurias iniuriis vlciſcantur, quantum incommodorum conſequetur?

Suo quemque officio conſulere oportet.

In omnibus rebus voluntatem ſpectari oportet.

Nihil indignius, quàm eum qui culpa careat, ſupplicio non carere.

Conceſſo peccato, difficile eſt ab eo qui peccatorum vindex eſſe debet, vt ignoſcat impetrare. Oportebit enim eum, qui ſibi vt ignoſcatur poſtulabit, cōmemorare, ſi qua ſua poterit beneficia, & ſi poterit oſtendere ea maiora eſſe, quàm deliquerit: vel plus ab eo boni, quàm mali profectum eſſe videatur. *Peccatum confeſſum punitur.*

Cùm beneficiis honos habitus ſit, pro maleficiis pœnas ſumi oportet.

Eorum miſereri oportet, qui propter fortunam, non propter malitiam in miſeriis ſunt.

Præmia virtutis & officia, ſancta & caſta eſſe oportet: neque ea aut cum improbis communicare, aut in mediocribus hominibus promulgari. *Præmia virtutis ſancta & caſta.*

Quæ enim rara, & ardua ſunt, ea experiendo pulchra, & iucunda hominibus videntur.

Facultates augere, non minuere oportet.

Impudens eſt, qui pro beneficio non gratiam, verùm mercedem poſtulat. Contrà autem de pecunia ratiocinari, ſordidum eſt, cùm de gratia referenda deliberatur. *Impudens*

Duabus de cauſis Iudicem dubitare oportet: ſi aut ſcriptum ſit obſcurè, aut neget aliquid aduerſarius. *Duabus de cauſis*

dubitare oportet iudicem. Cùm ſcriptum ſit apertè, & aduerſarius omnia confiteatur, tunc iudicem legi parere, non interpretari legem oportet. Nam ſumma imprudentia eſt, eum, qui contra id quod ſcriptum ſit, aliquid probare velit.

Nulla eſt lex, quæ aliquam rem inutilem, aut iniquam fieri velit: omnia ſupplicia, quæ à legibus proficiſcuntur, culpæ aut maliciæ vitandæ cauſſa conſtitutæ ſunt.

Nullæ res neque legibus, neque ſcriptura vlla, denique & ne in ſermone quidem quotidiano, atque imperiis domeſticis rectè poſſunt adminiſtrari, ſi vnuſquiſque velit verba expectare, & non voluntati eius, qui ea verba habuerit, accedere.

Leges cur nobis charæ eſſe debent. Leges nobis charæ eſſe debent, non propter literas, quæ tenues, & obſcuræ notæ ſunt voluntatis: ſed propter earum rerum, quibus deſcriptum eſt, vtilitatem, & eorum qui ſcripſerunt ſapientiam, & intelligentiam.

Iudex is videtur legi obtemperare, qui ſententiam eius, non qui ſcripturam ſequitur.

Quæ lex maximè conſeruanda. Si leges duæ, aut plures, aut quotquot erunt, conſeruari non poſſunt, quia diſcrepant inter ſe: ea maximè conſeruanda putetur, quæ ad maximas res pertinere videtur. Et maximè conſeruanda eſt ea lex, quæ diligentiſſima, & ſancta eſt. Multis etiam in legibus multa præterita ſunt: quæ idcirco præterita arbitrantur, quod ex cæteris, de quibus ſcriptum eſt, intelligi poſſint. Nam oportet coniectura ex eo quod ſcriptum eſt, ad id quod non ſit ſcriptum peruenire. Nemo enim poteſt omnes res per ſcripturam complecti: ſed is commodiſſimè ſcribit, qui curat vt quædam ex quibuſdam intelligantur.

Stulti ſcriptoris eſt, non poſſe omnibus de rebus cauere, quibus velit.

Id quod imperatur neceſſarium, illud quod permittitur voluntarium eſt.

Rerum expetendarum tria ſunt genera. Par auté numerus vitandarum ex contraria parte. Nam eſt quoddam, quod ſua vi nos alliciat ad ſeſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua dignitate: quod genus, virtus, ſcientia, veritas eſt. Eſt aûtem aliud non propter ſuam vim & naturam: ſed propter fructum, atque vtilitatem petendam, quod pecunia eſt. Eſt porrò quoddam ex horum partibus iunctum, quod ex ſua vi & dignitate nos inductos ducit, & præ ſe quandam gerit vtilitatem, quò magis expectatur, vt amicitia, bona æſtimatio. Atque ex his horum contraria facilè tacentibus nobis intelligentur. *Rerum expetendarum tria genera.*

Sunt res quædam ex tempore & conſilio, non ex ſui natura conſiderandæ: quibus in omnibus quid tempora petunt, aut quid perſonis dignum ſit, conſiderandum eſt: & non quid, ſed quo quidque animo, qui cum, quo tempore, quandiu ſit, attendendum eſt. *Res quomodo conſiderandæ*

Videre autem hoc in laudando, & vituperando oportebit, non tam quæ in corpore, aut in extraneis rebus habuerit is, de quo hîc agitur, quàm quo pacto vſus ſit his rebus. Nam fortunam quidem & laudare ſtultitia, & vituperare ſuperbia eſt. Animi autem & laus honeſta, & vituperatio vehemens eſt.

SENTENTIÆ, EX LIBRO *primo nouæ Rhetoricæ.*

NON enim parum fructus habet copia dicendi, & commoditas orationis, ſi recta intelligentia, & definita moderatione animi gubernetur.

Ex libro ſecundo.

Initia inuentionis vnde. Initia enim inuentionis, ab arte debent proficiſci: & cætera facile comparabit exercitatio.

Facta non famam ſpectari oportet.

Rumoribus credi non oportet.

Tormenta & cruciatus. Maiores noſtri veri inueniendi cauſſa tormentis, & cruciatu voluerunt quæri, & ſummo dolore homines cogi: vt quicquid ſciant, dicant.

Maiores voluerunt certis in rebus quæſtiones interponi, cùm quæ verè dicerentur ſciri poſſent, aut probari: quæ falsò in quæſtione pronunciarentur, refelli poſſent.

Indignum facinus eſt, ſine teſtibus coniecturam, & ſuſpicionem firmamenti ſatis habere.

Temerè fama naſci non ſolet, quin ſubſit aliquid.

Calumniatoris eſt officium, verba & literas ſequi, negligere voluntatem.

Oportuit ne in ea re peccare, in qua alius antè peccauit?

Animi vitium. Nam qui ſe propter vinum, aut amorem, aut iracundiam fugiſſe rationem dicet, is animi vitio videbitur neſciſſe, non imprudentia: quare non imprudentia ſe defendet, ſed culpa cõtaminabit perſonam.

Voluntatem

Voluntatem in omnibus rebus ſpectari conuenit: quæ conſultò facta non ſunt, in eis fraudem eſſe non oportet. *Voluntas ſpectanda.*

Difficillimum eſt inuentum expolire, & expeditè pronunciare.

Omnes enim cũ minima peccata aliqua de cauſſa ſuſcipiunt, tum verò illa, quæ multò maxima ſunt maleficia, aliquo certo emolumento inducti, ſuſcipere conantur. Si multos induxit in peccatum pecuniæ ſpes, ſi quàm plures ſcelere ſe contaminauerunt imperij cupiditate, ſi multi leue compendium fraude maxima commutauerũt: cui mirum videbitur à maleficio iſtum propter acerrimam formidinem non ſe temperaſſe? Virum fortiſſimum, integerrimum, inimicitiarũ perſequentiſſimum, iniuria laceſſitum, ira exuſcitatum, homo timidus, nocens, conſcius ſui peccati, inſidioſus, incolumẽ eſſe noluit: cui tandem hoc mirum videbitur? Nam cùm feras beſtias videmus alacres, & erectas valere, vt alteri beſtiæ noceãt, non eſt incredibile putãdum, iſtius quoque animum ferum, crudelem, inhumanum, cupidum, ad inimici perniciem eſſe profectum: præſertim cum in beſtiis nullam neque bonam, neque malam rationem videamus: in iſto plurimas, & peſſimas rationes ſemper fuiſſe intelligamus. *Certo emolumento inducti plerique, maxima maleficia ſuſcipere audent.*

Omnes qui in paupertate ſunt, malunt maleficio parare diuitias, quàm officio paupertatem tueri.

Id quod in aliquo paupere improbo eſt, in omnes pauperes falsò, & iniuria confertur.

Duæ ſunt res, quæ omnes homines ad maleficiũ impellunt, luxuries, & auaritia. Quid amor, inquiet quiſpiam? quid ambitio? quid irreligio? quid metus mortis? quid imperij cupiditas? quid denique alia multa? *Duæ res, quæ homines ad maleficium impellunt.*

Tres, quæ omnes homines ſollicitant. Tres ſunt, quæ omnes homines ſollicitant, metus cupiditas, & ægritudo. Satis enim fuerat dixiſſe metum & cupiditatem: quoniam ægritudinem cum vtráque re coniunctam eſſe, neceſſe eſt.

Omnium malorum ſtultitia eſt mater, atque materies: ea parit præ cæteris immenſas cupiditates. Immenſæ verò cupiditates, infinitæ, & immoderatæ ſunt:hæ pariunt auaritiam, malitiam. Auaritia porrò hominem ad quoduis maleficium impellit.

Fortuna inſana. Fortunam inſanam eſſe, & cæcam, & brutam, perhibent Philoſophi: ſaxique inſtar globoſi dicunt eſſe volubilem.

Auaritia. Magno malo eſt hominibus auaritia: idcirco quòd homines magnis, & multis incommodis affligantur propter immenſam pecuniæ cupiditatem.

Vtilis eſt ſapientia, propterea quòd, qui ſapientes ſunt, pietatem colere conſueuerunt. Item vtile eſt, amicos veros habere: habes enim quibus cum iocari poſſis.

In comparandis rebus quid vitioſum. Vitioſum eſt in comparandis rebus alteram rem efferre, de re altera mentionem non facere: aut neceſſe putare, alteram rem vituperari, cùm alteram laudes. Non enim neceſſe eſt, ſi alteros præponas, alteros vituperes. Fieri enim poteſt, vt cũ alteros magis laudaris, aliquam alterius partem laudis attribuas: ne cupidè pugnaſſe contra veritatem puteris.

Voluntario facinori nulla eſt excuſatio imprudentiæ, & iuſta deprecatio parata.

Maius eſt maleficium ſtuprare ingenuam, quàm ſacrum lædere: cùm alterum propter egeſtatem, alterum propter intemperatam ſuperbiam fiat.

Nihil enim lachryma citius areſcit.

Ex libro tertio.

Honeſtæ rei diuiſio. Honeſta res diuiditur in rectum, & laudabile. Rectum

ctum eſt, quod cum virtute, & officio fit. Id diuiditur in prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, modeſtiam. Prudentia, eſt calliditas, quæ ratione quadam poteſt habere delectum bonorum & malorum. Dicitur etiã prudentia, ſcientia cuiuſdam artificij: & appellatur prudentia, multarum rerum memoria, & vſus quàm plurium negotiorum. Iuſtitia, eſt æquitas, ius vnicuique tribuens ſecundum dignitatem cuiuſque. Fortitudo, eſt magnarum rerum appetitio, & rerum humilium contemptio: & laboris cum vtilitatis ratione perpeſſio. Modeſtia, eſt in animo continens moderatio cupiditatum.

Vlciſci malè meritos oportet, ſi fidem magnopere cenſebimus conſeruandam: ſi leges, & mores ciuitatis egregiè dicemus oportere ſeruari: ſi ſocietates atque amicitias ſtudioſè dicemus coli conuenire: ſi quod ius in parentes, deos, patriam natura comparauit: id religioſè colendum demonſtrabimus: ſi hoſpitia, clientelas, cognationes, affinitates caſtè colendas eſſe dicemus: ſi nec pretio, nec gratia, nec periculo, nec metu, nec ſimultate, à recta via oſte[illegible] duci oportere: ſi dicemus in omnibus æquabile ius ſtatui conuenire. His atque huiuſmodi parti[illegible] iuſtitiæ, ſi quam rem in concione, aut in concilio [illegible]ciendam cenſebimus, iuſtam eſſe oſtendemus: contrariis iniuſtam. Ita fiet, vt eiſdem locis ad ſuadendum, & diſſuadendum ſimus parati. *Iuſtitiæ partes in dicendo.*

Res magnas, & excelſas ſequi, & appetere oportet, ſi fortitudinis partibus vtemur. Item res humiles, & indignas viris fortibus viros fortes propterea contemnere oport[illegible]e, nec idoneas dignitate ſua iudicare. Item à nulla [illegible]honeſta, periculi aut laboris magnitudine deduci o[illegible]ere: antiquiorem mortem turpitudine haberi: [illegible] dolore cogi, vt ab officio receda- *Fortitudinis partes.*

tur; nullius pro rei veritate metuere inimicitias: quod libet pro patria, parentibus, amicis, hoſpitibus, & his rebus, quas iuſtitia colere cogit, adire periculum, & quemlibet ſuſcipere laborem.

Modeſtiæ partes. Modeſtiæ partibus vtemur, ſi nimias libidines honoris, pecuniæ, ſimiliumque rerum, vituperabimus: ſi vnamquamque rem certo naturæ termino definiemus: ſi quod cuique ſatis ſit, oſtendemus. & ſi nimium progredi diſſuadebimus, & modum vnicuique rei ſtatuemus.

Prudentiæ partes. Prudentiæ partibus vtemur in dicendo, ſi commoda cum incommodis conferemus: cùm alterum ſequi, vitare alterum cohortemur.

A virtute non recedendum Nemo erit, qui cenſeat, à virtute recedendum eſſe. Neque enim ſolùm laudis cauſſa rectum ſequi conuenit: ſed ſi laus conſequitur, duplicatur recti appetendi voluntas.

Nulla vtilior res eſt incolumitate. Virtutibus vti nemo poteſt, qui ſuas rationes in tuto non collocauit.

Dij non ſunt auxilio iis, qui ſe inconſultò in periculum mittunt. Honeſtum nihil oportet exiſtimari, quod non ſalutem pariat.

Virtus nullo tempore relinquenda eſt: vel dolor, ſi is timeatur: vel mors, ſi ea formidetur, dedecore, & inſania leuior eſt.

Fortuna fortitudinem adiuuat. Fortitudini fortuna quóque adiumento eſſe ſolet. Is tutè viuit, qui honeſtè viuit: non qui in præſentia incolumis eſt: & is qui turpiter viuit in perpetuum incolumis eſſe non poteſt.

Commoda corporis. Corporis ſunt ea, quæ natura corpori attribuit commoda, vt velocitas, vires, dignitas, valitudo, & quæ contraria ſunt. Animi ſunt ea, quæ conſilio, & cogitatione noſtra conſtant, prudentia, iuſtitia, fortitudo,

titudo, modeſtia, & quæ contraria his ſunt.
Nuperrimè dictum, facilè memoriæ commendatur.

Acuta exclamatio, faucis vocem vulnerat.

In cæteris rebus, ingenij bonitas imitatur ſæpe doctrinam: ars porrò naturæ commoda confirmat, & auget. *Bonitas ingenij.*

Non magis aut minus in memoria, quàm in cæteris artibus fit, vt ingenio, doctrina, præceptione, natura niteſcat. Docet nos ipſa natura quod oporteat fieri. Nam ſi quas res in vita videamus paruas, vſitatas, quotidianas, eas meminiſſe diu non ſolemus: propterea quod nulla niſi noua, aut admirabili re cõmouetur animus. At ſi quid videmus, aut audimus egregium, turpe aut honeſtum, inuſitatum tamen & inauditum, magnum, incredibile, periculoſum, id diu meminiſſe conſueuimus. Itaque ſi quas res ante ora videmus, aut audimus, obliuiſcimur plerunque: quæ acciderunt in pueritia, meminimus optimè ſæpe. Nec hoc alia de cauſſa poteſt accidere, niſi quòd vſitatæ res, facilè memoria elabuntur: inſignes, & nouæ, in animo manent diutius. Solis exortus, curſus, occaſus nemo admiratur: propterea quia quotidie fiunt: at eclipſes Solis admirantur, quòd raro accidit: & Solis eclipſes mirantur magis, quàm Lunæ, propterea quoniam hæ crebriores ſunt. *Memoria niteſcit in genio.* *Vis memoriæ.*

Docet ergo natura ſe vulgari, vili & vſitata re non exuſcitari: nouitate verò & inſigni quodam negotio commoueri. Imitatur igitur ars naturam, vt quod ea quæ deſiderat, inueniat: ſi quid oſtendit, ſequatur. Nihil enim eſt, quod aut natura extremum inuenerit, aut doctrina primum: quia rerum principia, ab ingenio profecta ſunt, & exitus diſciplina comparantur. *Natura commouetur non vſitata re, ſed noua.*

In omni diſciplina, infirma eſt artis præceptio

ſine ſumma aſſiduitate exercitationis : tum verò in memoriis minimum valet doctrina, niſi induſtria, ſtudio, labore, diligentia comprobetur.

Ex libro quarto.

Hoc ipſum maximum artificium eſt in arte ſua poſſe & alienis exemplis vti.

Non omnia concedenda ſunt antiquitati.

Vide ne facias impudenter, qui tuo nomine velis ex aliorum laboribus libare laudem.

Teſtimonij & exempli differentia. Hoc intereſt inter teſtimonium, & exemplum: exemplo demonſtratur id quod dicimus cuiuſmodi ſit: teſtimonio eſſe illud ita vt nos dicimus, confirmatur.

Intereſt magni eius qui diſcere vult, vtrum vnum omnia, an omnia neminem, ſed aliud alium putet conſequi poſſe. Neceſſe erit eum putare ab omnibus omnia: ab vno vix pauca potuiſſe ſumi.

Exēplum. Primum omnium quod ab artis ſcriptore affertur exemplum, de eiuſdem artificio debet eſſe.

Si Triptolemus cùm hominibus ſemen largiretur, ipſe ab aliis id hominibus mutuaretur: aut ſi Prometheus, cùm mortalibus ignem diuidere vellet, ipſe à vicinis cum teſta ambulans, carbunculos corrogaret, num ridiculus videretur? Iſti magiſtri omnium *Dicendi præceptores redarguti.* dicendi præceptores, num videntur ſibi ridiculum facere, cum id quod aliis pollicentur, ab aliis quærunt? Si quis ſe fontes maximos penitus abſconditos aperuiſſe dicat: & hic ſitiens, quam maximè loquatur, neque habeat quo ſitim ſedet, non rideatur? Iſti enim cum non modò dominos ſe fontium, ſed ſeſe ipſos fontes eſſe dicant, & omnium rigare ingenia debeāt, non putant fore ridiculum, ſi cum id pollicentur, areſcant ipſi ſiccitate.

Quæ enim res apud nos non erant, earum rerum nomina non poterant eſſe vſitata.

Rerũ imperiti.

Nam rerum omnium imperiti, qui vniuſcuiuſque rei de rebus antè geſtis exempla petere non poſſunt, hi per imprudentiam facillimè deducuntur in fraudem. At ij, qui ſciunt quid aliis acciderit, facilè ex aliorum euentibus, ſuis poſſunt rationibus prouidere.

Solent enim diu cogitare omnes, qui magna negotia volunt agere.

Concordia.

Ex quo tempore concordia de ciuitate ſublata eſt, libertas ſublata eſt, fides ſublata eſt, amicitia ſublata eſt.

Qui nihil habet in vita iucundius vita, is cum virtute vitam colere non poteſt.

Virtus præferenda diuitiis.

Diuitias ſine diuitum eſſe: tu verò virtutem præfer diuitiis. Nam ſi voles diuitias cum virtute comparare, vix ſatis idoneæ tibi videbuntur diuitiæ, quæ virtutis pediſſequæ ſint.

Cur eam rem tam ſtudioſè curas, quæ tibi multas dabit curas? Amari iucundum eſt, ſi curetur ne quid inſit amori.

Turpis amor, et intemperans libido.

Nulla facilius ad maleficium cauſſa, quàm turpis amor, & intemperans libido commouere poteſt. Nam cuius mulieris animus corruptus eſt, eius corpus eſſe caſtum non poteſt. Mulieres autem ad omnia maleficia cupiditas ducit vna, viros, ad vnumquodque malum ſingulæ cupiditates impellunt.

Quam nobis facultatem fortuna dedit, iniquum eſt in eorum ſupplicio conſumere, quos eadem fortuna paulò antè in ampliſſimo ſtatu collocauit.

Idcirco maiores noſtri benè putauerunt, vt neminem regem, quem armis cepiſſent, vita priuarent.

Aſſentatio.

Habet aſſentatio principia iucunda, eadem exitus amariſſimos affert.

Difficile eſt primùm virtutes reuereri, qui ſemper ſecunda fortuna ſit vſus.

Liber is exiſtimãdus eſt, qui nulli turpitudini ſeruit.

Egens æquè is eſt, qui non ſatis habet, & is cui nihil ſatis eſſe poteſt.

Optima viuendi ratio eſt eligenda, quam iucundam conſuetudo reddet.

Bene viuendi rationes in virtute collocatæ.

Omnes benè viuendi rationes in virtute ſunt collocatæ, proptereà quòd ſola virtus in ſua poteſtate eſt. Omnia præter eam ſubiecta ſunt ſub fortunæ dominatione. Qui fortunis alicuius inducti, amicitiam eius ſecuti ſunt, hi ſimul ac fortuna delapſa eſt, deuolant omnes. Cùm enim receſſit ea res, quæ fuit conſuetudinis cauſſa, nihil ſupereſt quare poſſint in amicitia retineri.

Errant, qui in proſperis rebus, omnes impetus fortunæ ſe putant fugiſſe.

Sapienter cogitant, qui temporibus ſecundis, caſus aduerſos reformidant cum ratione hoc pacto.

Adoleſcentium peccatis nõ ignoſcendum.

Qui adoleſcentium peccatis ignoſci putant oportere, falluntur: proptereà quòd ætas illa non eſt impedimento bonis ſtudiis. At ij ſapienter faciunt, qui adoleſcentes maximè caſtigant: vt quibus virtutibus omnem vitam tueri poſſint, eas in ætate maturiſſima velint comparare.

Qui ſibi inimicus, alii amicus eſſe nõ poteſt.

Qui ſuis rationibus inimicus fuit ſemper, eũ quomodo alienis rebus amicum fore ſperes? Quem in amicitia perfidioſum cognoueris, eum quare putes amicitias cum fide habere poſſe? Aut qui priuatus intolerabili ſuperbia fuerit, eum commodum, & ſe cognoſcentem videre in poteſtate quis ſperet? Et qui in ſermonibus, & conuentu amicorum verum non dixerit, nunquid eum in concionibus credis à mendacio temperaturum?

Ei non

Ei non multum poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in virtute, quàm in caſu præſidium collocauit. Nam ſi quis ſpei non multum collocauerit in caſu, quid eſt quod ei magnopere caſus obeſſe poſſit? Quod ſi in eos plurimum fortuna poteſt, qui ſuas rationes omnes in caſu contulerunt, non ſunt omnia committenda fortunæ, ne magnam in nos nimis habeat dominationem. *Cui multũ obeſſe fortuna non poteſt.*

Cuius omnis in pecunia ſpes eſt, à ſapientia eſt animus eius remotus: diligentia comparat diuitias, negligentia corrumpit animum: & tamen cum ita viuit, neminem præ ſe ducit hominem.

Perditiſſima ratio eſt amorem petere, pudorem fugere diligere formam, negligere famam.

Nolo eſſe laudator, ne videar adulator.

Salus antiquior eſt militum, quàm impedimentorum.

Diligentia, eſt accurata conſeruatio ſuorum. *Diligẽtia.* Auaritia, eſt iniurioſa appetitio alienorum. *Auaritia.* Fortitudo, eſt contemptio laboris & periculi, cum ratione *Fortitudo.* vtilitatis, & compenſatione incommodorum. Temeritas, eſt cum inconſiderata dolorum perpeſſione, *Temeritas* gladiatoria periculorum ſuſceptio.

O virtutis comes inuidia, quæ bonos inſequeris plerumque, atque adeò inſectaris.

Formæ dignitas, aut morbo defloreſcit, aut vetuſtate extinguitur.

Eſſe oportet, vt viuas: non viuere, vt edas.

Si ſtultus es, ea re taces: non tamen ea te ſtultus es.

Omnibus rebus ereptis, ſolùm mihi ſupereſt animus, & corpus.

Armis Italia non poteſt vinci, nec Græcia diſciplinis.

Nam cum canes fung[illegible] officiis luporum, cuiuſnam præſidio [illegible] [illegible]iemus?

Senatus officium. Magiſtratus officiũ. Populi officium.

Senatus eſt officium co[illegible]ilio ciuitatem adiuuare. Magiſtratus eſt officium cum honore & diligentia conſequi voluntatem populi. Populi officium eſt, res optimas & homines idoneos maximè ſuis ſententiis diligere, & approbare. Accuſatoris eſt officiũ, inferre crimina. Defenſoris eſt, diluere & propulſare. Teſtis eſt, dicere quæ ſciat, aut audierit. Quæſtoris eſt, vnumquemque horum in ſuo officio continere.

Quemadmodum in ratione viuendi fugitur inuidia: ſic in dicendo conſilio vitatur odium.

Duæ ſunt res, quæ poſſunt omnes homines ad turpe compendium commouere, inopia atque auaritia.

Sapiens nullum periculum vitat pro ſalute patriæ.

Nullum tantum eſt periculum, quod ſapiens pro ſalute patriæ vitandum arbitretur. Cum augetur incolumitas perpetua ciuitatis, qui bonis erit rationibus præditus, profectò nullum vitæ diſcrimen ſibi pro fortunis Reipublicæ fugiendum putabit: & erit in ea ſententia ſemper, vt pro patria ſtudioſè, in quanuis magnam deſcendat vitæ dimicationem.

Sapientis apud ſe colloquium.

Nam ſapiens, qui omnia Reipublicæ cauſſa ſuſcipienda pericula putabit, ſæpe ipſe ſecum loquetur: Non mihi ſoli, ſed etiam, atque adeò multò potius natus ſum patriæ. Vita, quæ fato debetur, ſaluti patriæ potiſſimum ſoluatur. Aluit hæc me tutè, atque honeſtè produxit vſque ad hanc ætatem. Muniuit meas rationes bonis legibus, honeſtiſſimis diſciplinis. Quid eſt quod à me ei perſolui poſſit ſatis, vnde hæc accepta ſunt? Hæc loquitur ſapiens ſecum. Sæpe ego in periculis Reipublicæ, nullum ipſe periculum fugi.

Laudandus qui

Quis eſt tam tenui cogitatione præditus, cuius animus tantis inuidiæ anguſtiis continetur, qui non hunc

hunc hominem ſtudioſiſſimè laudet, & ſapientiſſimum iudicet, qui pro ſalute patriæ, pro incolumitate ciuitatis, pro Reipublicæ fortunis, quanuis mágnum, atque atrox periculum ſtudioſiſſimè ſuſcipiat, & libenter ſubeat? *pro ſalute patriæ nullum refugit periculum.*

Sapiens itaque nullum periculum pro Republica vitabit: adeò (quod ſæpe fit) vt cùm pro Republica perire noluerit, neceſſariò cum Republica pereat. Et quoniam omnia ſunt commoda à patria accepta, nullum incommodum pro patria graue putandum eſt. Ergo qui fugiunt id periculum, quod pro Republica ſubeundum eſt, ſtultè faciunt. Nam neque effugere incommoda poſſunt, & ingrati in ciuitatem reperiuntur. At qui patriæ pericula ſuo exemplo expellunt, hi ſapientes putandi ſunt, cùm & eum, quem debent honorem Reipublicæ reddunt: & pro multis perire malunt, quàm cum multis. Etenim vehementer iniquum eſt, vitam quam à natura acceptam propter patriam conſeruaueris, naturæ cum cogat non reddere, patriæ cum roget, non dare. Et cùm poſſis cum ſumma virtute, & honore pro patria interire, malle per dedecus, & ignauiam viuere. Et cùm pro amicis, & parentibus, & cæteris neceſſariis, adire periculum velis: pro Republica (in qua & hoc ſanctiſſimum nomen patriæ continetur) nolle in diſcrimen venire.

Vituperandus qui in Reipublicæ periculo, ſuæ potius ſaluti conſulit, quàm communi.

Itaque vti contemnendus eſt ille, qui in nauigando nauim relinquit, qua ſe mauult incolumem: ita vituperandus eſt, qui in Reipublicæ diſcrimine, ſuæ plus, quàm ſaluti conſulit communi. Naui enim fracta, multi incolumes euaſerunt: ex naufragio patriæ, ſaluus nemo poteſt enatare.

Neque equus indomitus, quanuis benè natura compoſitus ſit, idoneus poteſt eſſe ad eas vtilitates,

Homo indoctus. & aptus, quæ deſiderantur ab equo: neque homo indoctus, quanuis ſit ingenioſus, ad virtutem poteſt peruenire: quoniam non poteſt virtus, ſine doctrina comparari.

In amicitia currendum velut in ſtadio. In amicitia gerenda, ſicut in certamine currendum: nec ita conuenit exerceri, vt quoad neceſſe ſit, venire poſſis: ſed vt productus ſtudio, & viribus, vltra facilè percurras.

Quò quiſque illuſtrior, eò contemptibilior, ſi virtutis & artium eget. Vti Citharœdus cùm prodierit optimè veſtitus, palla inaurata indutus, cũ chlamyde purpurea coloribus variis intexta, & corona aurea magnis fulgentibus gemmis illuminata, citharam tenens exornatiſſimam, auro & ebore diſtinctam: ipſe prӕterea forma, & ſpecie ſit, & ſtatura appoſita ad dignitatem, ſi cùm magnam populi commouerit his rebus expectationem, & repente ſilentio facto, vocem emittat acerbiſſimam cum turpiſſimo corporis motu: quò melius ornatus ſit, & magis fuerit expectatus, eò magis deriſus, & contemptus eiicietur: ita ſi quis in excelſo loco, & in magnis, ac locupletibus copiis collocatus, fortunæ muneribus, & naturæ commodis omnibus abundabit: ſi virtutis, & artium (quæ virtutis magiſtræ ſunt) egebit, quò magis cæteris rebus erit copioſus, & illuſtris, & ſpectatus: eò vehementius deriſus, & contemptus, ex omni conuentu bonorum eiicietur.

Falſi amici hirundinibus comparati. Ita vt hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ recedũt: ita falſi amici, ſereno vitæ tempore præſto ſunt, ſimul atq; hyemem fortunæ viderint, deuolant omnes.

Non enim res tota toti rei neceſſe eſt ſimilis ſit: ſed ad ipſum, ad quod cõfertur, ſimilitudinem habeat aliquam oportet.

Impij deſcriptio. Impius quotidie per medium forum tanquam iu-

batus draco ſerpit, dentibus aduncis, aſpectu venenato, ſpiritu rabido, circunſpectans huc & illuc, ſi quem reperiat, cui aliquid mali faucibus afflare, & ore attingere, dentibus inſecare, lingua aſpergere poſſit.

Fer manſuetè fortunam tuam: noſce te eſſe hominem.

SENTENTIÆ, EX LIBRO *Orationum.*

NAM in cæteris rebus cùm venit calamitas, tunc detrimẽtum accipitur: at in vectigalibus non ſolùm aduentus mali, ſed etiam metus ipſe affert calamitatem. Etenim ſi vectigalia neruos eſſe reipublicæ ſemper diximus, eũ certè ordinem qui exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum rectè eſſe dicemus. *Quatuor*

Non enim poſſunt in vna ciuitate multi Rempublicam ac fortunas amittere, vt non plures ſecum trahant in eandem calamitatem. *quæ in ſummo imperatore eſſe*

Ego enim æſtimo in ſummo Imperatore quatuor has res eſſe oportere, ſcilicet ſcientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem. Neque enim illæ ſunt ſolæ virtutes imperatoris, quæ vulgò exiſtimantur, labor in negotiis, fortitudo in pericu- *debent.*

lis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo. Neque etiam bellandi tantùm virtus in ſummo Imperatore quærenda eſt: ſed multæ ſunt artes eximiæ huius adminiſtræ, comitéſque virtutis. At primum quanta innocentia debent eſſe Imperatores, quanta deinde omnibus in rebus temperantia, quanta fide, quanta fœlicitate, quanto ingenio, quanta humanitate? Neque etiam poteſt exercitum continere is Imperator, qui ſeipſum non continet. neque ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non vult.

Vim illatã vi repellere licet.

Etſi tempus nullum iure hominis necandi conſtitutum eſt: certè illud eſt nõ modò iuſtum, verumetiam neceſſarium, cùm vi vis illata defenditur. Eſt igitur hæc, iudices, non ſcripta, ſed nata lex, quam nõ didicimus, accepimus, legimus, verum etiam ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus: ad quam non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus: vt ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, in tela latronum, aut inimicorum incidiſſet, omnis honeſta ratio eſſet expediendæ ſalutis.

Inter arma ſilent leges.

Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari iubent, cum ei qui expectare velit, antè iniuſta pœna luenda ſit, quàm iuſta repetenda. Et ſic ſapienter quodammodo dat ipſa lex tacitè poteſtatem defendendi, quæ non modò hominem occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi cauſſa: vt cùm cauſſa, non telum quæreretur, qui ſui defendendi cauſſa, telo eſſet vſus, non hominis occidendi cauſſa habuiſſe telum iudicaretur.

Vita varia, commutabiliſque ratio.

Vide quàm ſit varia vita, commutabiliſque ratio: quàm vaga, volubiliſque fortuna: quantæ infidelitates in amicis: quantæ ad tempus aptæ ſimulationes:

quantæ in periculis fugæ proximorum: quantæ timiditates.

Fortes & ſapientes viri, non tam præmia ſequi ſolent rectè factorum, quàm ipſa rectè facta.

Exilium ibi eſſe putandum eſt, vbi virtuti non ſit locus: mortem, naturæ finem eſſe, non pœnam. *Exilium.*

Neque eſt vllum certius amicitiæ vinculum, quàm conſenſus, & ſocietas conſiliorum, & voluntatum.

Non enim conuitiis iudicat ſemper populus, ſed mouetur plerunque gratia, cedit precibus, fauet eis, a quibus eſt maximè ambitus: denique ſi iudicat, non delectu aliquo, aut ſapientia ducitur ad iudicandum, ſed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate. *Populus imperitus.*

Non enim eſt conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia: ſemperque ſapientes ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda dixerunt. Eſt enim conditio liberorum populorum, præcipuéque huius principis populi, & omniũ gentium domini, ac victoris, poſſe ſuffragiis vel dare, vel ſubſtrahere quod velit cuique. Noſtrum autem eſt, qui in hac tempeſtate iactamur à fluctibus, ferre modicè populi voluntates, allicere alienaş, retinere partas, placare turbatas. *Non eſt conſilium in vulgo.*

Laudanda eſt enim, vel etiam amanda vicinitas, retinens veterem illum officij morem, non infuſcata maliuolentia, non aſſueta mendaciis, non fuſcata, non fallax, non erudita artificio ſimulationis vel ſuburbano, vel etiam vrbano. *Vicinitas amanda.*

Etenim eſt grauius ſpoliari fortunis, quàm non augeri dignitate.

Nam meo iudicio pietas eſt fundamentum omnium virtutum. *Pietas.*

Eſt enim in virtute aſcenſus, vt is gloria magis excellat, qui virtute plurimum præſtet.

Quid in candidato requiri ſolet. Omnes enim iſtius mundi artes in his reprehendũtur, qui cum profeſſi ſunt ſatisfacere, non poſſunt, non in his qui abfuiſſe in iſtis ſtudiis confitentur. Virtus, probitas, integritas in candidato, non linguæ volubilitas, non ars, non ſcientia requiri ſolet.

Virtus maxima eſt gratitudo & pietas. Etenim, Iudices, cùm omnibus virtutibus me affectum eſſe cupiam, tum nihil eſt quod malim, quàm me & gratum eſſe, & videri. Hæc eſt vna virtus non ſolùm maxima: ſed etiam mater virtutum omnium reliquarum. Quid eſt pietas, niſi voluntas grata in parentes? Qui ſunt boni ciues, qui bello, qui domi, qui de patria benè merentes, niſi patriæ beneficia meminerunt? Qui ſancti, qui religionem colentes, niſi qui meritam diis immortalibus gratiam iuſtis honoribus, & memori mente perſoluunt? Quæ poteſt eſſe iucunditas vitæ, ſublatis amicitiis? Quæ porrò amicitia poteſt eſſe inter ingratos? Quis eſt noſtrum liberaliter educatus, cui non educatores, cui non magiſtri ſui atque doctores: cui non locus ille mutus, vbi ipſe alitus atq; doctus eſt, cum grata recordatione, in mente verſetur? Cuius opes aut tantæ eſſe poſſunt, aut vnquam fuerunt, quæ ſine multorum amicorum officiis ſtare poſſint? Quæ certè, ſublata memoria, & grata nulla extare poſſunt. Equidem nil tá proprium hominis exiſtimo, quàm non modò beneficio, ſed etiam beniuolentiæ ſignificatione alligari.

Nihil porrò tam immane, tam ferum, quàm committere vt beneficio non dicatur indignus, ſed victus eſſe videatur.

Nam qui pro Republica vitam dederunt, licet me deſipere dicatis, nunquam mehercle eos mortem potius, quàm immortalitatem aſſecutos putaui.

Simplex officium, atque vna eſt bonorum omnium cauſſa.

Neque requiem me dixeris deridere, niſi forte regium tibi videtur ita viuere, vt nō modò homini nemini, ſed cupiditati quidem vlli ſeruias: contemnere omnes libidines: non auri, non argenti, non terrenarum rerum indigere: in ſenatu ſentire liberè: populi vtilitati magis conſulere, quàm voluntati: nemini cedere: multis obſiſtere: ſi hoc putas regium, me regem eſſe confiteor. *Requies non deridenda.*

Literæ poſteritatis cauſſa repertæ ſunt, quæ ſubſidio obliuioni eſſe poſſent. *Literæ quare repertæ.*

Non his libentiſſimè ſoleo reſpondere, quos mihi videor facillimè poſſe ſuperare.

Omnibus in rèbus, Iudices, quæ grauiores, maioréſque ſunt, quid quiſque voluerit, cogitauerit, admiſerit, non ex crimine, ſed ex moribus eius, qui arguitur, eſt ponderandum. Neque enim poteſt quiſquam noſtrum ſubitò fingi, nec cuiuſquam vita repēte mutari, aut natura conuerti. *Non crimen, ſed mores ponderandi.*

Veſtra enim, qui cum ſumma elegantia, atque integritate vixiſtis, hoc maximè intereſſet, non ex libidine, aut ſimultate, aut leuitate teſtium, cauſſas honeſtorum hominum pōderare: ſed in magnis diſquiſitionibus, repentinı́ſque periculis, vitam vniuſcuiuſque eſſe teſtem.

Hoc natura eſt inſitum, vt quem timueris, quicū de vita, fortunı́ſque contēderis, cuius ex inſidiis euaſeris, hunc ſemper oderis. *Qui odio haberi ſolent.*

Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinēt, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. *Omnes artes inter ſe coniunctæ.*

Eſt ridiculum ad ea, quæ habemus, nihil dicere: quærere ea, quæ habere non poſſumus, & de hominū

memoria tacere, literarum memoriam flagitare. Et cū habeas ampliſſimi viri religionem, integerrimi municipij iuſiurandum, fidémque, ea quæ nullo modo deprauari poſſunt, repudiare: tabulas quas idem dicis ſolere corrumpi, deſiderare.

Quid in vita maximè expetendum. Nihil eſt in vita magnopere expetēdum, niſi laus & honeſtas: in ea autem proſequenda, omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis, atque exilij, parui ſunt ducenda.

Naturæ tantū habitu, pleríque excellenti animo & virtute fuerunt. Ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina: naturæ ipſius habitu propè diuino per ſeipſos & moderatos, & graues extitiſſe vidi. Etiam illud adiungo, ſæpius ad laudem atque virtutem, naturam ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam. Atque idem ego contendo, cùm ad naturam eximiam, atque illuſtrem acceſſerit oratio quædam, confirmatióque doctrinæ, tum illud neſcio quid præclarum, atque ſingulare ſolere exiſtere.

Quid ſi hic non tantus fructus oſtenderetur: & ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur, tamen (vt opinor) hanc animaduerſionem humaniſſimam, ac liberaliſſimam iudicaretis. Nam certè neque temporum

Studia & bonæ artes quid præſtant. ſunt, neque ætatum omnium, neque locorū. Hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecūdas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium præbent: oblectant domi, non impediunt foris, pernoctāt nobiſcum, peregrinantur, ruſticātur. Quod ſi ipſi hæc neque attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſemus: tamen ea mirari deberemus, etiam cùm in aliis videremus. Etenim ſic à ſummis hominibus eruditiſſimíſque accepimus, cæterarum rerum ſtudia, & doctrina, & præceptis, & arte conſtare: poëtam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi diuino quodam ſpiritu inflari. Quare, ſuo iure noſter ille Ennius

nius ſanctos appellat poëtas, quòd quaſi deorum aliquo dono, atque munere commendati nobis eſſe videantur.

Non enim eſt hoc diſſimulandum quod obſcurari non poteſt, ſed piè nobis ferendum. Trahimur omnes ſtudio laudis, & optimus quiſque maximè gloria ducitur. Ipſi etiam Philoſophi illis libris, quos de cõtemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt. In illo enim, in quo prædicationem, nobilitatémque deſpiciunt, prædicari de ſe, ac nominari volunt. Nulla enim virtus laborum, periculorúmque mercedem deſiderat, præter hanc gloriæ & laudis. *Trahimur omnes laudu ſtudio*

Eſt verè fortunatus ille, cuius ex ſalute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura ſit lætitia, peruenerit.

Nunquam enim temeritas cum ſapientia commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur.

Nulla enim eſt tanta vis, tanta copia, quæ nõ ferro, ac viribus debilitari, frangíque poſſit. Animum verò vincere, iram cohibere, victoriam temperare, aduerſarium nobilitate, & ingenio, & virtute præſtantem, non modò extollere iacentem, ſed etiam amplificare eius præſtantem dignitatem, hæc qui facit, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum deo iudico. *Animum vincere perarduũ & difficile*

At verò cum aliquid clementer, manſuetè, iuſtè, moderatè, ſapienter factum, in iracundia præſertim quæ eſt inimica conſilio, & in victoria, quæ natura inſolens, & ſuperba eſt, audimus, aut legimus, quo ſtudio incendimur non modò in geſtis rebus, ſed etiam in fictis, vt eos ſæpe quos nunquam vidimus, diligamus?

Nihil eſt enim opere & manu factum, quod non aliquando conficiat, & conſumat vetuſtas. Qui verò *Omnia conſumit vetuſtas.*

victor pacis autores diligit, is profectò declarat ſe maluiſſe non dimicare, quàm vincere.

Quicquid eſt enim, quanuis amplum ſit, id certè eſt parum tum, cum eſt aliquid amplius.

Ingratus eſt, iniuſtúſque ciuis, qui armorũ periculo liberatus, animum tamen retinet armatum.

Nemo mirari debet humana conſilia, diuina neceſſitate eſſe ſuperata.

Magnanimitas. Magna vis animi eius viri eſt, quem de ſuſcepta cauſſa, propoſitáque ſententia, nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum poſſit depellere.

Bonitas. Nihil eſt tam populare, quàm bonitas.

Clementia Homines enim nulla re ad deos propius accedũt, quàm ſalutem hominibus dando.

Impunius fit quod cum factum eſt, negari poteſt.

Vbi enim id quod intus eſt, atque noſtrum, impunè euolare poteſt, contráque nos pugnare, fit in dominatu ſeruitus, in ſeruitute dominatus.

Summa bona. Quid de virtute dicam? de magnitudine animi, grauitate, conſtantia? quæ omnes docti, atque ſapiẽtes ſumma quædã, & ſola bona eſſe dixerunt: híſque non modò ad benè, ſed etiam ad beatè viuendum contentam eſſe virtutem.

Conſideratio. De inuidia autem ſic inter vos diſceptare debetis, vt non quid dicatur à nobis, ſed quid oporteat dici, conſideretis.

Illud me non præterit in iudicio filij, de turpitudine parentis dici vix oportere.

Hoc fere ſcitis omnes, quantam vim habeat ad coniungendas amicitias, ſtudiorum ac naturæ ſimilitudo.

Sapientiſſimus qui dicendus. Sapientiſſimum enim eſſe dicunt, qui quod opus ſit, ipſi veniat in mentem: proximè accedere illum, qui alterius benè inuentis obtemperet. In ſtultitia cõ-

trà eſt. Minus enim ſtultus eſt is, cui nihil in mẽtem venit: quàm ille, qui quod ſtultè alteri venit in mentem, comprobat.

Omnes enim orationes cauſſarum ſunt, ac temporum: non hominum ipſorum, ac patronorum. Nam ſi cauſſæ ipſæ pro ſe loqui poſſent, nemo adhiberet oratorem. Hoc enim vinculum huius dignitatis, qua fungimur in republica: hoc fundamentum libertatis: hic fons æquitatis, mens, animus, & conſilium, & ſententia ciuitatis, poſita eſt in legibus.

Vt corpora noſtra ſine mente, ſic ciuitas ſine legibus, ſuis partibus vt neruis, ac ſanguine, & membris vti non poteſt: vnde legum miniſtri, magiſtratus: legum interpretes, iudices: legum denique idcirco omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. *Ciuitas ſine legibus, ſuis partibus vti nõ poteſt.*

Eſt enim ſapientis Iudicis cogitare, tantum ſibi à populo Romano eſſe permiſſum, quantum commiſſum ſit, & creditum. Et non ſolùm ſibi poteſtatem datam, verumetiam fidem habitam eſſe meminiſſe: poſſe quem oderit abſoluere, quem non oderit, condemnare: & ſemper non quid velit ipſe, ſed quid lex & religio cogat, cogitare. Animaduertere qua lege reus citetur, de quo reo cognoſcat, quæ res in quæſtione verſetur. Cùm hæc ſint vidẽda, tum verò illud eſt hominis magni Iudicis ac ſapientis, cum illa iudicanda cauſſa tabellam ſumpſerit, non ſe putare eſſe ſolum, neque ſibi quodcunque cupierit, licere: ſed ſibi habere in conſilio legem, religionem, æquitatem, fidem: libidinem, aut odium, inuidiã, metum, cupiditatéſque omnes amouere, maximéque æſtimare conſcientiam mentis ſuæ, quam à diis immortalibus accepimus, quæ à nobis diuelli non poteſt: quæ ſi optimorum conſiliorum, ac factorũ teſtis in omni vita nobis erit, ſine vllo metu, & ſumma cum hone- *Sapientis Iudicis proprium.*

ſtate viuemus.

Homines inimicos ſuos affici morte volunt, vel quòd metuunt, aut quòd oderunt. Quò plus propter virtutem, nobilitatémque poſſunt, eò minus quàm poſſint, debent oſtendere.

Perſpicua veritas. Non enim, quemadmodum putatis, omnia ſunt in eloquentia. Eſt tamen quædam ita perſpicua veritas, vt eam infirmare nulla res poſſit.

Miſeria. Acerbitas Calamitas Funeſta res. Indignitas Luctuoſa res. Miſerum eſt exturbari fortunis omnibus, miſerius eſt iniuria. Acerbum eſt ab aliquo circumueniri, acerbius à propinquo. Calamitoſum eſt bonis euerti, calamitoſius cum dedecore. Funeſtum eſt à forti atque honeſto viro iugulari: funeſtius ab eo, cuius vox in prætorio quæſtum præſtitit. Indignum eſt à pari vinci, aut ſuperiore: indignius ab inferiore, atque humiliore. Luctuoſum eſt tradi alteri cũ bonis, luctuoſius inimico. Horribile eſt cauſſã capitis dicere, horribilius eſt proprio loco dicere.

Magnitudo animi maiorum noſtrorum Hæc enim ratio, & magnitudo animorum in maioribus noſtris fuit, vt cùm in priuatis rebus, ſuíſque ſumptibus minimè contenti tenuiſſimo cultu viuerent: in imperio, ac publica vtilitate, omnia ad gloriã, ſplendorémque reuocarent.

Non enim omnia quæ dolemus, eadem queri iure poſſumus.

Sua cuique ciuitati religio eſt: noſtra nobis.

Conditiones adminiſtrandarum ciuitatum miſeræ. O conditiones miſeras adminiſtrandarum ciuitatum, & prouinciarum: in quibus diligentia plena ſimultatum, negligentia vituperationum: vbi ſeueritas eſt periculoſa, liberalitas ingrata, ſermo inſidioſus, aſſentatio pernicioſa, frons omnium familiaris, multorum animus iratus, iracundiæ occultæ, blãditiæ apertæ: vehementer prætores expectant, præſentibus inſeruiunt, abſentes deſerunt.

Semper graues, & ſapientes iudices in rebus iudicandis, quid vtilitas ciuitatis, quid communis ſalus, quid Reipublicæ tempora poſcerent, cogitauerunt. *Graues atque ſapientes iudices*

O miſera vitæ ratio, quæ tandiu reſides in voluptate, quandiu poſcit fortunæ libido.

Quid dulcius hominum generi à natura datũ eſt, quàm ſui cuique liberi?

Eſt enim vlciſcendæ iniuriæ facilior ratio, quàm beneficij remunerandi. Nam qui in vlciſcendo remiſſior fuit, mox apertè laudatur: ac grauiſſimè vituperatur, qui in beneficiis remunerandis eſt tardior. Neque ſolùm ingratus, quod ipſum graue eſt, verumetiã impius appelletur neceſſe eſt. *Vltio.*

Aſſiduus vſus vni rei deditus, & ingenium & artẽ ſæpè vincit.

Quod eſt igitur propoſitum his Reipublicæ gubernatoribus, quod intueri, & quò curſum ſuum dirigere debeant? Idem quod & præſtantiſſimum, maximéque optabile ſanis, & bonis, & beatis cum dignitate ocium. Hoc qui volunt, omnes optimates: qui efficiunt, ſummi viri, & cõſeruatores ciuitatis putantur. Neque enim rerum gerendarum dignitate homines efferri ita conuenit, vt ocio non próſpiciant: neque vllum amplexari ocium, quod abhorreat à dignitate. Huius autem ocioſæ dignitatis hæc fundamenta ſunt, religiones, auſpicia, poteſtates, magiſtratus, ſenatus, autoritas, leges, mos maiorum, iudicia, iuriſdictio, fides, prouinciæ ſocij, imperij laus, res militaris. Earum rerum tot, atque tantarum eſſe defenſorem, atque patronum, magni animi eſt, magni ingenij, magnæque conſtantiæ. *Propoſitũ Reipu. gubernatorũ.*

Maioribus periculis oppugnatur reſpublica, quã defenditur: propterea quòd audaces homines, & perditi, nutu impelluntur: & ipſi etiam ſponte ſua con- *Reſpublica maioribus pericu-*

In oppugnatur, quàm defenditur. tra Rempublicam incitantur. Boni neſcio quomodo tardiores ſunt, & principiis rerum neglectis, ad extremum, ipſa denique neceſſitate excitantur: ita vt nonnunquam cunctatione, ac tarditate, dum ocium volunt etiam ſine dignitate retinere, ipſi vtrumque amittant.

Via laudis Hæc eſt vna via, mihi credite, & laudis, & dignitatis, à bonis viris, & ſapientibus, benè à natura conſtitutis laudari, & diligi.

Id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum. Speremus quod volumus, quod acciderit, feramus.

Caduca & mobilia. Caduca ſemper, & mobilia hæc eſſe dixi, non virtutis, atque ingenij, ſed fortunæ, & temporum munera, quorum ego non tam facultatem vnquam, & copiam extendendam putaui, quàm & in vtendo rationem, & in carendo patientiam.

Nemo eſt qui non deum eſſe ſentiat. Etenim quis eſt tam vecors, qui aut cum ſuſpexerit in cœlum, deos eſſe non ſentiat, & ea quæ tanta mente fiant, vt vix quiſquam arte vlla ordinum rerũ, ac neceſſitatem perſequi poſſit, caſu fieri putet: aut cùm deos eſſe intellexerit, eorum numine hoc tantum imperium eſſe natum, & auctum, & æternum?

Deteriores cauete, quorum quidem eſt magna natio.

Facilè ſunt preces apud eos, qui nobis vltro viá ſalutis oſtendunt.

Gratitudo Non is ſolùm gratus debet eſſe, qui accipit beneficium: verumetiam is, cui poteſtas accipiendi fuit.

Adulatores. Ex hac copia quàm multos eſſe arbitror, qui hominibus potentibus, gratioſis, diſcretis, cùm aliquid eos velle arbitrantur, vltro ſe offerre ſoleant, operam nauare, teſtimonium polliceri.

Plurimi ex vita Equidem multos & vidi in hac ciuitate, & audiui, non modò qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc

hoc vitæ, & extremis id digitis attigiſſent: ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dediſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam (vt dicitur) recepiſſe, grauéſque homines, atque illuſtres fuiſſe. Datur enim conſenſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erumpunt, vt nullius vitam labeſactent, nullius domum euertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent. Multa enim nobis blandimenta natura ipſa genuit, quibus ſopitis virtus cõuiueret: & interdum multas vias adoleſcentiæ lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo, aut prolaptione vix poſſet. Et multarum rerum iucundiſſimarum varietatem dedit, qua non modò hæc ætas, ſed etiam iam corroborata caperetur. Quamobrem ſi qué forte inueneritis, qui aſpernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore vllo, non tactu, non ſapore capiatur, excludit auribus omnem ſuauitatem, huic homini ego fortaſſe & pauci deòs propitios, plerique autem iratos putabunt.

Peruerſa ad bonam frugem ſe receperunt

Vitium ventris & gutturis non modò non minuit ætas hominibus, ſed etiam auget.

O magna vis veritatis, quæ contra omnium ingenia, calliditatem, ſolertiam, contráque factas omnium inſidias, facilè per ſeipſam ſe defendat. *Veritas.*

Si enim innocentes exiſtimari volumus, non ſolùm nos abſtinentes, ſed etiam noſtros comites præſtare debemus. Primum omnium opera tanta danda eſt, vt eos nobiſcum ducamus, qui noſtræ famæ, capitíque conſulant: denique ſi in hominibus eligendis nos ſpes amicitiæ fefellerit vt vindicemus, miſſos faciamus.

Qui eligẽdi in amicitiam.

Fuit iſta quondam in hac Republica virtus, vt viri fortes acrioribus ſuppliciis ciuem pernicioſum,

quàm hoſtem acerrimum coërcerent.

Hoc animo ſemper fui, vt inuidiam virtute partam, gloriam non inuidiam putarem.

Non minus nobis iucundi, atque illuſtres ſunt dies, quibus conſeruamur, quàm illi, quibus naſcimur: quòd ſalutis lætitia certa eſt, naſcendi incerta conditio: & quòd ſine ſenſu naſcimur, cùm voluntate ſeruamur.

Mors turpis viro forti accidere non poteſt. Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere. Non enim intelligemus mortem à diis immortalibus eſſe ſupplicij cauſſa conſtitutam: ſed aut neceſſitatem naturæ, aut laborum & miſeriarum eſſe quietem. Itaque eam ſapientes nunquam inuiti, fortes etiam ſæpe libenter appetierunt. Vincula verò & ea ſempiterna certè, ad ſingularem pœnam nefarij ſceleris inuenta ſunt.

Maledicentia. Sæpe enim grauius vidi offendere animos auditorum, eos qui aliena flagitia apertè dixerunt, quàm eos qui commiſerunt. Carere debet omni vitio, qui in alterum dicere paratus ſit. Demum maledicit, qui non poteſt verum ab altero audire.

Satius eſt me meis rebus geſtis florere, quàm maiorum opinione niti: & ita viuere, vt ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.

FINIS.

INDEX CAPITVM SINGVLARVM
rerum hoc in libello contentarum.

Sententiæ, ſiue potius ſcribendi formulæ, quibus vti conſueuimus, quum gratulatorias literas ad amicum vel damus, vel ab eo recipimus. Cap.1. fo.5.

Sententiæ, ſeu ſcribendi formulæ, quæ ad magnitudinem amoris, beneuolentiæ, familiaritatis, aut beneficij noſtri in alterum, aut alterius in nos, explicandam pertinent. Cap.2. fo.14.

Sententiæ ſeu ſcribendi formulæ, quibus vti conſueuimus, vbi conſilium, auxiliúmue amico vel damus, vel ab eo petimus. Cap.3. fo.18.

Sententiæ, ſeu ſcribendi formulæ, quas accommodamus, quum noſtrum officium, ſtudium, operam, laborem, diligentiam, & curam aliis, aut ſuum illi nobis deferre pollicentur: & quum de acceptis beneficiis gratias habemus. Cap.4. fo.21.

Sententiæ, & ſcribendi formulæ commendatitiæ, cùm videlicet vel nos ipſos, vel alios, amico commendare volumus. Cap.5. fo.24.

Sententiæ, ſeu ſcribendi formulæ, quas vſurpare conſueuimus, cùm aliquem vt ad nos veniat, inuitamus: & quum ipſe ſe in hac, vel quacunque alia re excuſat. Cap.6. fo.31.

Sententiæ, ſeu ſcribendi formulæ, ad commendationem virtutum, bonorum, ſcientiæ, & artium alicuius ſpectantes: & quas accommodamus, cùm ob ea ipſa quempiam collaudare, vel ad ea inducere volumus. Cap.7. fo.34.

Sententiæ, ſeu ſcribendi formulæ, pacem & felicem Reipublicæ ſtatum, réſque ſecundas cuiuſpiam priuati hominis concernentes: & quas accommodamus, cùm inde nobis, aut alteri, congratulari cupimus. Cap.8. fo.38.

Sententiæ,

Sententiæ ſeu ſcribendi formulæ, quas accommodamus, cùm vitia, inimicitias, malos hominum mores explicare, atque illos inde reprehendere volumus. Cap.9. fo.40.

Sententiæ, ſeu ſcribendi formulæ, ad bellum, & perturbatum Reipublicæ ſtatum, aduerſáſque res priuati alicuius hominis, vtpote infirmitatem, morbum, mortem, & cætera pertinentes. Et quibus vtimur cùm de eis aut dolemus, aut aliquem conſolamur. Cap.10. fo.42.

Sententiæ, ſeu ſcribendi formulæ, quibus vtimur, quum rem aliquam geſtam amico ſignificare, aut aliquid ab eo expoſcere: aut ipſum ad rem aliquam peragendam exhortari volumus. Cap.11. fo.47.

Sententiæ, prouerbia, & exempla, ad cuiuſcunque generis epiſt. edendas general. ac ſparſim ſpectantia. Ca.12. fo.57.

Sententiæ, ſeu ſcribendi formulæ, ad artificioſas epiſtolarum concluſiones formandas, ſpectantes. Cap.13. fo.61.

Sententiæ aliquot ex libro primo Officiorum Ciceronis.

Autoritates, & ſententiæ ex libro primo Officiorum Marci Tullij Ciceronis exprompte. fol.66.

Ex libro ſecundo. fol.73. Ex libro tertio. fol.78.

Sententiæ, ex libro de amicitia. fol.80.

Sententiæ, ex libro de ſenectute. fol.88.

Sententiæ, ex libro Paradoxorum. fol.94.

Sententiæ, ex Somnio Scipionis. fol.97.

Sententiæ, ex libro primo Tuſculanarum quæſt. fo.99.

Ex ſecundo. fol.101. Ex tertio. fol.102.

Ex quarto. fo.103. Ex quinto. fol.104.

Sententiæ ex libris veteris Rhetoricæ. fo.106.

Ex primo. fol.108. Ex ſecundo. fol.109.

Sententiæ ex libro primo nouæ Rhetoricæ. fo.111.

Ex ſecundo eodem folio. Ex tertio. fol.112.

Ex quarto. fol.114.

Sententiæ ex libro Orationum. fol.118.

FINIS.

AO1 1464-138

BIBLIO
Vitto